


C 16022 - 4



S

L

I

SIGISMUNDI STORCHENAU

IN ACADEMIA VINDOBONENSI

LOGIC. ET METAPH.

PROFESSORIS PUB. ORD.

INSTITUTIONES

METAPHYSICÆ

IN IV. LIBROS DISTRIBUTÆ.

L I B E R . I.

Editio Altera

AB AUCTORE EMENDATA.



VENETIIS

PROSTANT VENALES SUB APOLLINIS SIGNO

Typis Josephi Molinari

1825.

64-~~2232~~

Seminar
für Katholische Theologie
Freie Universität Berlin

PROLEGOMENON

IN METAPHYSICAM.

§. I. **M**etaphysica est scientia, quæ notiones maxime universales in examen vocando, & principia demonstrationum generalissima constituendo, accuratissimas de rebus quibusvis ideas animo informare docet.

Sch. Nominis originem docet (§. 19. logic.) Definitionis vero allatæ veritas ex ipso operis totius cursu palam fiet.

II. Res nobis notæ ad tres summas classes reducuntur, Deum, animas, & materiam, ex qua corpora mundum aspectabilem constituentia coalescunt: notiones quædam omnibus, quædam singulis separatim communes sunt. Quatuor inde oriuntur metaphysicæ partes: *Ontologia*, in qua notiones omnibus, atque singulis communis contemplantur; nominatio *Cosmologia* eas, quæ huic, aliisque mundis possibilibus; *Psycologia*, quæ animabus tam humanis, quam belluinis; *Theologia*, quæ Deo competunt, investigat.

Schol. Wolfi hæc est partitio, hodieque ab omnibus fere melioris notæ philosophis, si Dariesium demas, retinetur. Mea tamen opinione istud metaphysicæ nomen sola sibi ontologia verius vindicat, reliquis partibus totidem separatas disciplinas constituentibus, quæ prin-

cipiis ontologicis proxime nituntur, ipsa enim sola in notiones maxime universales inquirit, generalissimaque ratiociniorum principia subministrat: haud igitur aberraverit a vero, qui cosmologiam, psychologiam, & theologiam alias reipsa esse negaverit, quam applicationem ontologiae, seu potius metaphysicæ ad doctrinam de mundo, anima, & Deo, quemadmodum id quoque in aliis omnibus, præcipue theoreticis scientiis usuvenit. Verum utcumque res sit, ego usitatam hodie metaphysicæ explanandæ partitionem, ac methodum sequar.

Quis
usus?

III. *Metaphysica servit ad alias scientias omnes & facilius & solidius condiscendas.* Qui facilius & solidius ratiocinatur, quique accuratores de rebus, quas unaquaque scientia suo ambitu complectitur, ideas efformare novit, is quoque quamvis scientiam et facilius, & solidius condiscit; sed ad utrumqne metaphysica hominem paratiorem efficit (§. 1.): igitur & id præstat, ut quævis alia scientia & facilius et solidius comprehendatur.

Scol. Utilitas igitur metaphysicæ in omnes omnino disciplinas, in quibus aliquis ratiocinio locus est, se diffundit; certe in physicis, in moralibus, in ea quæ sublimiora scrutatur mysteria, idest theologia, in jurisprudentia, in therapeutica sine metaphysicis principiis nihil recte

suscipi, neque magnam fieri progressionem in aperto est, quando hæ disciplinæ animum in ratiociniis, principiorum generalium ope contexendis, egregie exercitatum, & notionibus universalibus entis, substantiæ, corporis, ejusque elementorum; tum specialioribus spiritualitatis videlicet, immortalitatis, ac libertatis animæ humanæ, existentiæ denique, providentiæque divinæ ideis imbutum requirunt. Idem ob eamdem prorsus ratione in de mathematicis, de oratoria, ceterisque artibus, quin etiam de negotiis paulo gravioribus in humano commercio occurrentibus affirmari verissime potest, ut viri harum rerum peritissimi non dissentur.

Universim denique sine metaphysicæ adjumento nemo ullus cognitionem profundam, solidamque sibi comparabit: qui enim in metaphysicis rudis est, destituitur certis, ac indubitatis principiis distincte cognitis, ad quæ judicia sua & ratiocinationes revocet. Jure igitur optimo summis encomiis ab eruditis extollitur metaphysica, jamque *Philosophia Prima*, jam *Principium*, & *omnium scientiarum fundamentum*, jam *Scientia universalis*, aut denique *Scientia per excellentiam* compellatur.

At enim non omnibus hæc probatur. Sunt, qui mallent nobilissimam hanc scientiam, totique humano generi maxi-

me proficuam ex orbe ipso exulare. Duplex horum hominum genus est : alii vanissimi eam subtilitatibus refertam, neque ad aliud, quam ad inanes ingeniorum otiosorum partus edendos, atque ad atendas inter sapientes discordias natam clamitant ; inde quidquid futile, vanum, ac inane in hominum ratiociniis comprehendunt, metaphysicæ tribuunt, illud sibi familiare perpetuo occidentes : *hæc ad metaphysicationes referenda sunt* ; quo vocabulo, nescio, quod monstrum biceps se denotasse arbitrantur. Hi quidem tolerari aliqua possent ratione, si veterem peripateticorum metaphysicam carperent ; hodie vero nequaquam, cum ea scientia a summo perfectionis apice proxime abesse videtur. Sed quid jam obtrectatoribus hujusmodi respondeas ? nihil certe accommodatus trito illo : *Ars osorem non habet, nisi ignorantem* ; nam id genus homines metaphysicam vix summis degustarunt labiis. Si tamen doceri velint, dicendum : metaphysicæ subtilitates in eo solum consistere, ut quodvis cogitationi objectum ex omni parte, ac sua omni possibili ad alia relatione acute expendatur; ut notæ ab individuis objectis per abstractionem separatæ seorsum attente explorentur ; ut denique quid quævis idea simile, vel dissimile cum altera contineat, accurate pervideatur, qui-

bus in rebus summum est ad solidam eruditio[n]em comparandam in o[mn]e[m]entum. Periculoso[m] metaphysicæ studiu[m] esse, ipsiusque castissimæ Religionis fundamentis ruinam minitari conqueruntur alii: asserti rationem inde petunt, quod ab eo fere tempore, quo disciplina hæc magis excoli cœpit, perditissimorum hominum numerus mirum in modum auctus sit, qui principiis metaphysicis ad impugnandum Religionem, atque ad subvertendam, quæ divino nobis munere obtigit, revelationem abutuntur. Verum querela hæc quantumvis ex parte æquissima, ejus est modi, ut non solum neminem, ab hoc studio arcere, sed acrioribus potius stimulis cordatiorem quemque ad id incitare debeat. Imprimis eni[m] non est tribendum metaphysicæ, quod a malitiosa nonnullorum calliditate, aut ignorantia proficiseitur, habetque hic præcipue locum, quod Verulamius generaliter de philosophia sapientissime pronunciavit: „Philosophia obiter libata „a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eundem“⁷. Deinde nonne necessere est, ut iisdem, quibus in nos utuntur impii Religionis hostes, armis impellantur, utque ex iisdem principiis convincantur? Alia certe non suppetit pugnandi ratio; non hic SS. Litterarum

*De aug-
ment.
Scient.
t. I. p. 10.*

auctoritati, non SS. Patrum testificatiōnibus, non vetustissimi historiarum monumentis locus est; ad unum rationis tribunal ipsi provocant; hujus unius imperium se revereri, hujus unius præceptiones se sequi profitentur: ex ratione igitur, ejusque primis principiis, quæ in metaphysica evolvuntur, impugnandi, ac refutandi sunt. Quare si ulla umquam, hac certe ætate, qua pestis hæc continenter latius serpit, metaphysicæ studium maximo omnibus opere commendandum est: dum patria periclitatur, nemini civium integrum est otio contabescere, et abjectis armis vallum & mœnia hosti prodere; an nobis ergo otiosis esse spectatoribus licebit, dum profani homines in Religionem, quæ patria, vitaque ipsa unicuique nostrum carior esse debet, arma vertunt? Sed satis de metaphysicæ præstantia.

Ad extremum quæret fortasse aliquis, quæ origo, quæ progressio fuerit metaphysicæ? quorum virorum conatibus ad eum, quo hodie gloriatur, splendorem adducta sit? his uno prope verbo satisfaciam. Primum quidem communem cum reliqua philosophia fortunam experta fuit metaphysica; cum ea exorta, lentisque passibus progressa; cum ea collapsa; cum ea denique post generalem in Europa litterarum instaurationem

restituta, brevissimumque intra tempus maximis accessionibus aucta est (proleg. in phil.). Deinde restitutæ amplificatæque gloriam praecipue sibi vindicant Cartesius, Gassendus, Leibnitius, quos VVolfius, aliique complures praestantisimi viri in hunc usque diem secuti sunt, & ut spes est, sequentur: porro horum ego nomina doctissimosque labores, ut occasio tulerit, abunde laudabo.

LIBER I. ONTOLOGIA.

PROLEGOMENON.

§. IV. Ontologia notiones Deo, animabus, materiæque, ac coalescentibus inde corporibus communes contemplatur (§. 2.). Deus, animæ, materia in eo convenient, quod sint entia: igitur tota est in notione entis evolvenda, atque inde nuncupatur ontologia, ac vulgo definitur per *scientiam entis in genere*.

V. Notio entis non rite expenditur, nisi una proprietates illius, ac diversæ species in examen vocentur; igitur in notione entis examinanda ita versari debet ontologia, ut & generales entium proprietates, & diversas eorum species distincte proponat.

VI. Porro in notionibus hisce evolven-
dis quam sæpiissime demonstrationi lo-

Quid
Ontolo-
gia?

Quid in
ea per-
tractan-
dum?

eus est ; demonstratio vero certa, ac indubitata principia postulat (§. 197. log.). Quare ad ontologiam vehementer pertinet, ut primo omnium loco in generalissima, quibus omnis denique demonstratio nititur, principia inquirat.

^{Quæ totius summa.} VII. Ex his perspicuum est, ea, de quibus ontologia agit, ad tria suprema genera revocari. Primum principia demonstrationum generalissima ; deinde proprietates entium maxime universales ; postremo diversæ eorum species exponendæ sunt : hæc ego totidem sectionibus complectar.

Schol. Qui ontologiæ studium parum adferre utilitatis censem, quod multis sunt, qui sine ea non spernendas interdum progressiones in aliis disciplinis faciunt, ii noverint, oportet, confusas de ente, primisque ratiociniorum principiis ideas quæ vulgari facultatum naturalium usu acquiruntur, constituere, quandam ontologiam *naturalem*, quæ frequentiore exercitatione exculta rudiores etiam in construendis rite ratiociniis non parum adjuvat. At istud de præstantia ontologiæ artificiosæ nihil deimit : cum enim hæc idæa ideas confusas in distinctas convertat, tantum illam antecellit, quantum cognitio distineta confusam (conf. §§. 44. seq. log.)

SECTIO I.

DE PRIMIS DEMONSTRATIONUM PRINCIPIIS.

S. VIII. Demonstrationem indubitatis niti principiis, atque ea inter omnes, & solas propositiones certas, ac evidentes locum habere dixi (§. 197. & cor. log.). In præsentia jam quæritur, quænam ex iis primo omnium loco collocari mereatur ita, ut ad eam omnes omnino veritates reducantur; *primum* enim demonstrationis *principium* ea est enunciatio, quæ omnibus veritatibus demonstrandis inservit, ipsa vero demonstrari nullo pacto potest.

IX. Veritates demonstrandæ vel necessariæ Et quo-
sunt, vel contingentes (§. 156. log.): diver-
sa prorsus harum natura in constituendo pri-
mo principio attendi debet; ea enim efficit,
ut in ipsarum analysi (§. 204. log.). progre-
dientes in diverso quoque principio *proximo*,
sive ut ajunt, *immediato* sistere cogamur.
Duplex igitur principium quærendum est, ve-
ritatum necessariarum unum; contingentium
alterum.

X. Cum porro unicum sit, quod quocumque Quæ hu-
in genere *primum* est, nequeunt duo hæc jus se-
principia ita esse prima, ut pari prorsus jure ctionis
ac ratione utrumque hac prærogativa gaudeat:
quare constituendus est inter ipsa ordo, unum-
que alteri subjiciendum. Tria igitur hac in
sektione explananda veniunt: *primum* verita-
tum necessariarum; tum contingentium prin-
cipium: denique mutua eorum relatio. Hæc
totidem capitibus exsequar.

C A P U T I.

De Primo Veritatum Necessariarum Principio.

XI. *Principium contradictionis* a philosophis Quid
vocatur hæc enunciatio; *impossibile est idem princ*

rium simul esse, & non esse : hac videlicet sublata, aut negata manifesta poneretur contradictionis? (§. 114. cor. 1. log.).

Negando XII. Qui principium contradictionis negat, ipsa negatione idem affirmat. Qui principium contradictionis negat, illud falsum esse dicit, quia putat non esse verum : ergo negando principium contradictionis judicat id, quod falsum est, non posse simul esse verum, sed hoc est affirmare, saltem implicite, principium contradictionis ; ergo qui principium contradictionis negat, ipsa negatione idem affirmat.

Est evi- Coroll. Principium igitur contradictionis est dentissi- per sese omnino certissimum, ac evidentissimum.

Schol. Idem eo quoque casu contingit, quis de veritate hujus enunciati solum dubitat ; qui enim dubitat, assensum retinet, nec audet asserere verum, quod metuit, ne falsum sit. Jam vero, qui ita animo comparatus est, judicat utique non posse esse verum, si sit falsum, sive, quod eodem recidit, judicat idem non posse simul esse, & non esse : igitur & per dubitationem principium contradictionis affirmatur.

Non pro- XIII. Principium contradictionis non habet
fuit ex a- propositionem priorem se, ex qua legitime pro-
prio. flueret. Si esset propositio quædam prior principio contradictionis, necesse erit, ut ea dicatur vel vera, vel falsa (§. 155. log.) ; sed neutrum fieri potest ; si enim dicas falsam, admittis ex falso sequi verum, quod absurdum est (§. 125. cor. 3. can. 3. log.). Si autem dicas veram, id nullo jure facies, atque ego eodem jure dicam esse falsam ; non præstructo enim principio contradictionis principio quævis propositio poterit simul vera esse, ac falsa, aut nec vera, nec falsa : ergo principium contradictionis non habet propositionem priorem se, ex qua legitime profluat.

XIV. *Principium contradictionis nullo pacto demonstrari potest.* Quidquid demonstratur, demonstratur vel a priori, vel a posteriori; item vel directe, vel indirecte (§§. 189. & seqq. log.); sed nullo horum modo principium contradictionis demonstrari potest; non a priori: requireretur enim propositio prior (§. 198. log.), qualis non datur (§. præc.); non a posteriori: enumeratio enim casuum singularium ab experientia cognitorum vero sensu non demonstrat hoc principium, sed aliqua solum ratione ejus veritatem declarat, modumque subministrat efformandi abstractionis ope universalem hanc enunciationem: non directe: hæc enim demonstratio pariter exigit propositionem priorem ipsa demonstranda, debet quippe ex natura subjecti erui ratio, cur illi prædicatum conveniat (§. 199. log.); hæc vero ratio semper format propositionem in præmissis ponendam, adeoque priorem conclusione, ut in exemplis loc. cit. allatis videre est. Non denique indirecte; cum enim omnis demonstratio indirecta in contradictione, ac proinde in ipso hoc principio innitatur (§. 201. log.), ea hoc in casu sine circulo vitioso (§. 202. log.) confici nequit: principium itaque contradictionis nullo pacto demonstrari potest.

XV. *In analysi cujuscumque veritatis necessaria statim pervenitur ad principium contradictionis.* Cum in quavis veritate necessaria prædicatum ita subjecto conveniat, vel repugnet, ut non convenire, aut non repugnare sine contradictione nequeat (§. 156. & præc. log.), in illius analysi statim deprehendo, aliquid, si non ita esset, fore simul, & non fore; sed hoc est pervenire ad principium contradictionis, ut per se manifestum est: ergo in analysi cujuscumque veritatis necessaria statim pervenitur ad principium contradictionis.

Non
potest
demon-
strari.

Omnis
veritas
necessa-
ria ad il-
lud redu-
citur.

Coroll. Ergo etiam omnis veritas necessaria reducitur ad principium contradictionis.

Schol. in casibus singularibus res est multo clarissima: quære exempli caussa, quare vera est hæc propositio: *circulus est rotundus*, & statim deprehendes fore simul, & non fore circulum, si ea propositio falsa esset; sic quoque totum esset simul, & non esset totum, si non esset majus una sui parte; triangulum esset simul, & non esset triangulum, si haberet duos angulos obtusos; homo esset simul, & non esset homo, si ratione non polleret: continua jam, quamdiu lubet, & percurre omnes omnino veritates necessarias, semper idem experieris, nempe ubi eadem caussa, ibi idem effectus. Generatim igitur rite concludo: quotiescumque ratio quæritur, cur enunciatio quædam data, quæ est in materia necessaria, aut impossibili, vera sit, aut falsa, nulla alia deprehendit quam contradictionis in casu opposito eventura, atque ideo quæstionem eam decidit principium contradictionis.

Et inde demonstratur. *XVI. Omnis veritas necessaria per principium contradictionis demonstratur.* Omnis veritas necessaria analytice reducitur ad principium contradictionis (§. præc. & cor.): ergo etiam analysin convertendo in synthesin (§. 204. log.), omnis veritas necessaria ex principio contradictionis legitima profluit; sed omnis veritas, quæ ex altera legitime profluit, per illam demonstratur, ut per se patet: ergo omnis veritas necessaria per principium contradictionis demonstratur.

Princip. *XVII. Principium contradictionis est primum omnium veritatum necessariarum principium.* Primum principium illud est, quod ipsum demonstrari nullo pacto potest, & omnibus ritatis necessariae aliis veritatibus demonstrandis inservit (§. 8.); sed principium contradictionis nullo pacto de-

monstrari potest (§. 14.), & omnibus veritatis necessariis demonstrandis inservit (§. præc.); ergo principium contradictionis est primum omnium veritatum necessarium principium.

Schol. Sunt nonnulla, quæ contrariæ opinio-
nis fautores opponunt: his respondere ne-
cessere habeo: verum in tironum duntaxat
commodum, quam ob causam methodum
quoque in collegiis publicis usitatam sequar;
quibus hæc displicant, illi, omissis id genus
scholiis, cum recurrerint, ad alia inoffenso
pede transire poterunt. Ajunt vero:

i.) Principium contradictionis ex principio ex-
clusi medii, nempe hoc: *quodlibet est, vel*
non est, infertur: ergo non est primum.

R. D. ant. Principium contradictionis ex prin-
cipio exclusi medii infertur hoc sensu,
quod posita veritate hujus ponatur etiam
veritas alterius. *c. ant.* hoc sensu, quod
per illud demonstretur, *n. ant.* ergo non est
primum, *n. con.* Illatio demonstrationis causa-
sa in præsenti casu fieri nequaquam pot-
est, quin circulus vitiosus committatur;
ut enim principium contradictionis ex prin-
cipio exclusi medii demonstretur, deberet
istud ut verum assumi; jam vero nondum
præstituto principio contradictionis nulla
propositio potest dici vera (§. 13.): igitur
præsupponendum esse principium contradic-
tionis, quod deinde in consequente infer-
retur. In hoc circuli vitium omnes se præ-
cipitarunt, qui quacumque ratione prin-
cipium contradictionis demonstrare pertenta-
runt; exemplo sit Stroehlerus, cuius hæc
est argumentatio: *Esse & non esse ejusdem* In exam-
sunt opposita, hinc unio eorum contradic-
tionem constituit; sed quod contradic-
tionem constituit, est impossibile: ergo & esse,
& non esse ejusdem est impossibile. In quo
ratiocinio non præsupposito principio con-

*In exam-
met.
Wolfs. p.
i. §. 3.*

tradictionis negari potest minor propositio. Verum & alia datur illatio, eo solum fine, ut ostendamus duarum veritatem ita arcte copulatam esse, ut posita una, continuo & alia ponи debeat, quod cum evenit, enunciationes illae sese mutuo inferre dicuntur. Contingit istud maxime in nostro hoc casu; nam principium exclusi medii est prima consecutio ex principio contradictionis legitime profluens, unde veritates haec immediato, & arctissimo nexu conjunguntur, ut quamprimum una ponitur, vel intelligitur, continuo altera quoque ponatur, vel intelligatur, ipsaque principia se mutuo inferant observato tamen illationis discrimine. Nempe 1. legitime sic infero: *Impossible est idem esse, & non esse: ergo quodlibet est, vel non est, & haec est illatio demonstrationis:* 2. etiam sic legitime infero: *Quodlibet est, vel non est: ergo impossibile est idem esse et non esse, & haec est illatio mutuae connexionis, per quam nihil aliud indicatur, quam arctissima harum veritatum connexio.* Quod ut plenius intelligatur, accipiamus etiam principium certitudinis, siue hanc enunciationem: *Quod est, est;* & videamus praेunte Dariesio, quomodo se esse excipient. 1. Ponatur principium contradictionis, quo nondum præsupposito nulla enunciatio proprie vera, aut falsa dici potest. 2. Jam hoc posito fingamus fieri posse, ut aliquid simul sit, & non sit, erit idem simul, & non: sed hoc repugnat Principio contradictionis jam posito: ergo sequitur quodlibet esse, vel non esse: en *principium exclusi medii:* 3. Jam assumo haec duo principia, & sic argumentor: quodlibet est, vel non est (ex demontr.); sed quod est, id non simul non est (ex prin. contr.); ergo quodlibet, quod est, est; en *principium certitudinis,* quod alii sic efferunt:

Quodlibet, dum est, certo est, vel necessario est.

- 2.) *Propositio pura prior est propositione modali: sed principium contradictionis est propositio modalis (§. 96. log.): ergo aliqua pura propositio prior est principio contradictionis.*

R. d. M. in ratione duntaxat propositionis, o. M. in ratione principii, n. M. con. m. & d. eodem modo cons. Dupliciter hoc loco propositio spectanda est: primum, ut est duntaxat aliqua propositio constans subiecto, praedicato, & copula: deinde ut est enunciatio serviens ad demonstrandas alias, sive ut est aliarum principium. Jam vero, etsi in priori sensu propositio pura sit prior modali, cum nostra saltem cogitatione prius sit rem esse, quam certo modo esse, non tamen pura propositio hoc ipso prior est modali in ratione principii, nisi haec per illam actu demonstrari possit. Quamobrem, cum principium contradictionis ex nulla alia demonstrari queat, haec propositio quantumvis modalis omnium principium agere potest.

- 3.) *Enunciatio negativa non servit ad veritates affirmativas demonstrandas; sed principium contradictionis est enunciatio negativa: ergo principium contradictionis non servit ad veritates affirmativas demonstrandas, atque adeo non ad omnes veritates necessarias.*

R. d. M. directe trans. M. indirecte n. M. c. m. & d. rursus con. Sufficit ad rationem primi principii, ut ejus ope omnes veritates saltem indirecte demonstrari possint: hac enim ratione & me ipsum in inquirenda veritate, & adversarium quantumvis pertinacem in ea communicanda convinco, dum illum eo adigo, ut vel dicta retractet, vel ipsi sibi manifeste contradic-

cat. *Transmisi* autem unam majoris partem; nam universim loquendo falsum est, nullam umquam veritatem affirmativam per enunciationem negativam directe demonstrari posse: perinde certe est, seu una præmissarum in syllogismis directam demonstrationem ingredientibus negativa sit, seu utraque affirmativa.

4.) Principio contradictionis non videtur ultra prærogativa præ reliquis axiomatibus competere: nam æque evidentia, ac indemonstrabilia sunt hæc, quam illud: igitur vel principium contradictionis primum non est, vel si hoc, eodem jure omnia reliqua dici debent prima principia.

R. Inter principium contradictionis & reliqua axiomata duplex est discriminem: primo nullum tanta pollet evidentia, ut per sui negationem aut dubitationem affirmetur. Deinde, tametsi ob immediatam evidentiam non admittant directam demonstrationem, possunt tamen ope principii contradictionis indirecte demonstrari, si a pertinaciori adversario in dubium vocentur. Denique & hæ enunciationes non præstituto principio contradictionis nec veræ, nec falsæ dici possunt.

5.) Illud non est primum principium, quod rationem suæ veritatis in alio habet; sed principium contradictionis habet rationem suæ veritatis in alio, nempe in evidentia; nam si quæratur, quare verum sit, respondeatur, quia est evidens: ergo principium contradictionis non est primum.

R. d. M. Illud non est primum principium, quod rationem suæ veritatis in alio, ut principio habet, con. M. in alio, ut principiorum fonte, n. M. & sic d. m. n. cons. Cum quærimus primum demonstrationis principium, quærimus propositionem, quæ in ordine omnium propositionum evidentium

prima sit, quæque adeo per nullam antecedentem demonstrari possit, inserviat tamen omnibus aliis demonstrandis; ex quo neutquam sequitur non posse evidentiam primo ante omnia principia loco constitui. Est nimurum evidētia abstracte cogitata quidam quasi fons omnium principiorum, cum propositiones, quibus ea sese quodammodo impertit, principia evadant; at principium vere appellari nequit, nam sic abstracte considerata ad nullam demonstrationem servit. Patet igitur hæc duo optime secum consistere: ut principium contradictionis & primum sit in ordine omnium principiorum, seu enunciationum evidētium, & simul rationem suæ veritatis in evidētia, tamquam communi principiorum fonte, agnoscat; illud: quia per aliud principium demonstrari nequis; hoc: quia propter evidētiam verum est.

Ex his quæ adhuc copiose allata sunt, intelligitur, quod sentiendum sit de celebri illo Cartesianorum principio: *Quidquid in idea clara & distincta alicujus rei cognosco, id ea de re certissime affirmare possum.* Hæc nimurum enunciatio aliquem quidem inter axiomata locum meretur, at de subsellio primi principii omnino deturbanda est: imprimis enim non præstructo principio contradictionis eodem jure vera, quo falsa, aut nec vera, nec falsa dici potest, ut cuivis alteri propositioni accidit. Deinde ipsa quoque in principio contradictionis rationem suæ veritatis habet, ac per illud demonstratur; nam cur quæso verum est, quod in idea clara & distincta cognosco? Nonne, quia secus cognoscerem, & non cognoscerem? cur certissime affirmari potest de re, quod in ejus idea clare videtur? nonne, quia hoc ipso, quod clare videatur, est, & quia hoc ipso, quod sit, non simul

non est? At hæc omnia ex principio contradictionis flaunt: igitur & Cartesianorum principium ex principio contradictionis demonstratur. Sunt quidem & multa alia, quæ contra hanc Cartesianorum opinionem pugnant; sed nolo esse longior: restat enim, ut de ipsius Cartesii principio: *cogito: ergo existo:* pauca dicam. Primum, ut huic quoque sua constet veritas, necesse est, ut antea certum sit non posse idem simul esse, & non esse: tum enunciatum hoc non est aptum ad omnes veritates necessarias demonstrandas: an enim ideo circulus rotundus, aut totum majus est una sui parte, quia ego & cogito, & existo? Denique *cogito, ergo existo:* est ratiocinatio enthymemate expressa, in quo una præmissarum reticetur, quæ si suppleatur, hic prodibit sensus: *Non possunt existere cogitationes sine subjecto cogitante; sed existunt meæ cogitationes: ergo etiam ego subjectum cogens existo.* Jam vero in hoc ratiocinio majorem ulteriori démonstratione egere manifestum est: Neque prodest quidquam, quod cognitio nostræ existentiæ sit prima ordine naturali acquisita; admitto enim, nobis ordine naturali de rerum existentiis philosophantibus primum occurrere propriam nostram existentiam; at de ratione primi principii esse, ut sit prima cognitio ordine naturali obtenta, vehementer nego: primum siquidem principium, cum inseruire debeat ad omnes veritates demonstrandas, enunciatio universalis sit, necesse est; enunciatio vero universalis non potest efformari, nisi abstractionis ope a singularibus antea cognitis; unde clarum est, multis in nobis inesse cognitiones rerum singularium, antequam de principiis universilibus cogitemus.

CAPUT II.

De Primo Veritatum Contingentium Principio.

XVIII. *Ratio* est id, quod efficit, ut ali- Quid ra-
quid sit ita, nec aliter, estque vel *sufficiens* tio suffi-
cum nihil amplius requiritur, vel *insufficiens* ciens, &
cum plura præterea desiderantur, ut aliquid rationa-
sit ita, nec aliter. Id, cuius est ratio suffi- tum.
cians, rationatum appellare placuit.

Scol. Assumo hic majoris claritatis, quin & æquivocationis vitandæ caussa definitionem Cel. Dariesii: differt hæc in vocabulis qui- dem, non tamen in re ab ea, quam Leibnitzius, Wolfius, Boehmius, Baumeiste- rius, Winklerus, aliquique hujus sectæ patro- ni constituunt. Patet id præcipue ex Win- klero, cum enim ait, *Rationem sufficien- tem esse id, ex quo intelligitur, cur ali- quid potius sit, quam non sit, explicatio-* Ont. 6. 5. §. 47. §. 48
nis gratia subjungit: per id, ex quo intel- ligitur, cur aliquid potius sit quam non sit, innuimus hoc, sine quo aliquid esse nequit idem, quod esse dicitur. Jam vero id, sine quo aliquid esse nequit idem, quod est, est utique id ipsum quod efficit, ut il- lud aliquid sit ita, nec aliter. Confirmatur id quoque ex eo, quod Leibnitzius rationem sufficientem aliquoties dixerit determinan- tem, quia nempe ratio sufficiens res deter- minat, id est, efficit, ut sint potius, quam non, hocque potius, quam alio modo. Com- moda porro, quæ hæc definitio adfert, in sequentibus magis patebunt.

XIX. Ratio sufficiens in varia genera tri- buitur, est enim vel *cognitionis*, quæ efficit Quotu-
ut aliquid ita, nec aliter cognoscatur; sic plex ra-
veritas unius contradictoriæ efficit, ut altera tio suffi- ciens?
falsa esse cognoscatur: vel possibilitatis, seu

ut ajunt, *essendi*, quæ efficit, ut aliquid sit possibile: *sic concordia prædicatorum efficit*, ut mundus sit possibilis: vel *actualitatis*, seu ut dicunt, *fiendi*, quæ efficit, ut aliquid existat, ut *voluntas Dei de mundi existentia*. Denique ratio sufficiens est vel *simplex*, vel *composita*; item vel *interna*, vel *externa*, vel *partim interna*, *parti externa*, quæ per se satis non sunt.

XX. Principium rationis sufficientis hæc compellatur enunciatio; *nihil est sine ratione sufficiente*.

Quid principium rationis sufficientis? Schol. Magis interest ad veritatis consecutio-
nem effati hujus potestatem quam accura-
tissime determinari: eum in finem observo;
prædicatum, quod in propositione quacum-
que subjecto cum veritate tribuitur, ipsi
vel *essentialis esse*, vel *præter essentiam*
competere: si primum, ratio hujus conve-
nientiae querenda est in principio contradic-
tionis: secus enim esset, & non esset hoc
subjectum (conf. §. 15.); si alterum, ne-
cessere est, ut sit aliquid, in quo ratio con-
tineatur, cur hoc prædicatum huic subjecto
præter essentiam conveniat, seu quod idem
est, necessere est, ut sit aliquid, quod effi-
ciat, ut hoc prædicatum huic subjecto *præ-
ter essentiam conveniat*. Ex his facile pa-
tet legitimam hujus enunciati: *Nihil est si-
ne ratione sufficiente*: significatione aliam
esse non posse, atque hanc: *Quotiescumque
prædicatum quoddam alicui subjecto præ-
ter essentiam vere tribuitur, adesse debet
ratio sufficiens, quæ efficiat, ut hoc præ-
dicatum huic subjecto conveniat*. Sensus
hic videtur ad mentem Leibnitii maxime
accommodatus esse; cur enim is principium
hoc sæpius vocat *principium convenientiae*?
Nonne, quia rationem reddit, cur hoc, vel
illud subjecto cuidam conveniat, vel non
conveniat?

Jam vero enunciatio hæc ita intellecta non potest non esse verissima, per se evidens, atque adeo verum axioma: possem igitur Leibnitii exemplo illius demonstratione omnino supersedere, atque ad casus duntaxat singulares, ac experientiam provocare; quia tamen sunt nonnulli, qui ejusdem claritate se perstringi inficiantur, eamque ob caussam, ut sibi demonstretur, postulant, petitioni huic æquæ, aut iniquæ satisfaciām.

XIX. *Nihil est sine ratione sufficiente, id Nihil est, cum prædicatum subjecto præter es-*
sentiam vere tribuitur, debet esse aliquid, ^{sine ratione sufficiente.} *quod efficit, ut hoc prædicatum huic subje-*
cto conveniat. Si nihil esset, quod efficeret, ut posita in hypothesi prædicatum *a* conve-
niat subjecto *b*, etiam nihil esset, quod effi-
ceret, ut in eadem hypothesi contradictori-
um prædicati *a* nempe non *a* non conve-
niat subjecto *b*; sed si nihil esset, quod effi-
ceret, ut in dicta hypothesi contradicitorium
prædicati *a* non conveniat subjecto *b*, tum
posset contradicitorum prædicati *a*, seu non
a in eadem hypothesi subjecto *b* convenire,
quod cum principio contradictionis pugnat: ergo cum prædicatum *a* convenit sub-
jecto *b*, debet esse aliquid, quod efficit, ut
prædicatum *a* subjecto *b* conveniat, sive ni-
hil est sine ratione sufficiente.

Coroll. Quidquid subjecto alicui cum ratione sufficiente tribuitur, illud eidem præter es-
sentiam competat, necesse est.

Schol. Juverit demonstrationem præsentem non nihil amplius illustrare. Imprimis quod ad majorem: ea omnino certa, ac evidens est; nam illud, quod efficeret, ut non *a* subjecto *b* non conveniat, esset illud ipsuni quod efficeret, ut *a* subjecto *b* conveniat; sicut si aliquid efficeret, ut non existentia huic mundo non conveniat, illud ipsum ef-

ficeret, ut existentia huic mundo conveniat: ergo si nihil est, quod efficit, ut a conveniat $\pi\omega b$, etiam nihil est, quod efficit, ut non a non conveniat $\pi\omega b$; ita si nihil esset, quod efficeret, ut existentia conveniat huic mundo, etiam nihil esset quod efficeret, ut non existentia non conveniat huic mundo. Jam ad minorem: si nihil est, quod efficit, ut non a non conveniat $\pi\omega b$, tum poterit utique non a $\pi\omega b$ convenire; quemadmodum, si nihil esset, quod efficeret, ut non existentia mundo non conveniat, poterit eodem jure non existentia mundo convenire; & poterit quidem non a $\pi\omega b$ convenire sub eadem hypothesi, qua nimurum ponitur ipsum a $\pi\omega b$ convenire; dicitur quippe (*cum prædicatum subjecto præter essentiam vere tribuitur*). Atque adeo poterit simul a & simul non a eodem tempore $\pi\omega b$ convenire, id est, poterit aliquid simul esse, & non esse: poterit nempe, ut allato jam exemplo concludam, non existentia mundo convenire etiam in hypothesi, qua ponitur vera esse hæc propositio: *mundus est existens*; ac proinde poterit mundus eodem tempore simul esse existens, & simul non existens, quod stabilito jam contradictionis principio repugnat.

Intef rationem rationatum, et vicissim; item sublata ratione sufficien- ne sufficiente tollitur rationatum, et vicissim. rationa- tem, & Primum, & ultimum patet, quia secus ratio- natum da- quæ ponitur sufficiens, esset reapse insuffi- ciens (§. 18.), ac proinde sufficiens simul, & insufficiens, quod absurdum est (§. 11.); secundum vero, & tertium pariter certum est, quia alias aliquid daretur sine ratione sufficiente, quod pugnat contra (§. præc.). Coroll. Igitur ratio sufficiens, & rationatum

insolubili, qui ab ipso principio contradictionis pendet, nexus copulantur.

XXIII. In analysi cujuscumque veritatis contingentis statim pervenitur ad principium rationis sufficientis. Cum in omni veritate contingente prædicatum præter essentiam subjecto conveniat, ut ex natura harum veritatum patet, in illius analysi progrediens statim deprehendo aliquid, quod efficit, ut hoc prædicatum huic subjecto conveniat (§. 21.) ; sed hoc est pervenire ad principium rationis sufficientis; ergo in analysi cujuscunque veritatis contingentis statim pervenitur ad principium rationis sufficientis.

Coroll. Omnis igitur veritas contingens reducitur ad principium rationis sufficientis.

Schol. Theorema hoc enumeratione casuum singularium eo prorsus modo, quo illud (§. 15.) illustrari potest. Si quæras, quare veræ sint hæ, & similes enunciationes : *Mundus existit, Cagus est eruditus, ægrotus, sanus : globulus plumbeus in aqua fundum petit, plumbi lamina quæ innatat :* semper, & illico deprehendes esse aliquid, quod efficiat, ut *mundo existentia, Cago eruditio, morbus, sanitas &c.* conveniant. Quare generatim concludo : quotiescumque quæritur, an enunciatio quædam data, quæ sit in materia contingente, vera sit, aut falsa, ratio sufficiens, vel ejus absentia assignari debet, atque adeo quæstionem hanc semper decidit principium rationis sufficientis.

XXIV. Omnis veritas contingens per principium rationis sufficientis demonstratur. Omnis veritas contingens analytice reducitur ad principium rationis sufficientis (§. præc.) ; ergo etiam analysin convertendo in synthesin omnis veritas contingens ex principio rationis sufficientis legitime profluit; sed veritas,

Omnis
veritas
contin-
gens ad
princ. rat.
suff. redu-
citur.

Ac per
illud de-
monstra-
tur.

quæ ex altera legitime profluit, per eam demonstratur: ergo omnis veritas contingens per principium rationis sufficientis demonstratur.

Principium rationis sufficientis est primum omnium veritatum contingentium principium. Primum principium omnibus veritatibus demonstrandis inservit (§. 8.); sed principium rationis sufficientis omnibus veritatibus contingentibus demonstrandis inservit (§. præc.): ergo principium rationis sufficientis est primum omnium veritatum contingentium principium.

Schol. Dixi quidem (§. 8.) ad rationem primi principii requiri ut ipsum amplius demonstrari nequeat; verum prærogativa hæc ejus est modi, ut illi solum, quod sub omni respectu primum est, competere possit. Quamquam si accurate loqui velimus principium rationis sufficientis non demonstratur, ut est veritatum contingentium principium, sed ut est veritas necessaria una cum aliis subjecta principio contradictionis: id quod uberior exponam, ubi antea adversariis satisfecero. Ajunt enim.

Solutio
objectio-
num.

1.) Ipso Wølfio docente in somnio omnia sunt sine ratione sufficiente: ergo falsum est nihil esse sine ratione sufficiente.

R. d. ant. In somnio objective spectato, c. ant. in somnio subjective spectato neg. ant. & con. Wølfius somnium objectivum, id est res illas, quas in somnio cernere videmus intelligit; hæc vero neutiquam actu existunt & cum nullo inter se nexus copulantur; sita reapse existerent, omni prorsus ratione sufficiente destituerentur. Quodsi somnium subjective accipias, intelligis ipsam operationem mentis nostræ, quæ ope facultatis imaginativæ ea phantasmata producit; at vero hæc operatio non caret ratione sufficiente, quæ ex lege imaginationi

deducenda est, ut in psychologia docetur. Patet igitur, quidquid in somnio reale est, illud quoque rationem sufficientem habere, quodque hac destituitur, illud nequaquam reale, sed solum imaginarium esse.

- 2.) Per principium rationis sufficientis non possunt demonstrari omnes veritates contingentes: ergo illud non est primum earum principium.

R. d. ant. non semper *actu*, & *reipsa n. ant.* non saltem *in potentia*, & *quoad se d. ant.* & *con.* Cum multa sint in rebus naturalibus, quæ tum ob intellectus nostri limitationem, tum ob necessariorum subsidiorum defectum non cognoscimus, sæpe evenit, ut principium rationis sufficientis ad demonstrationem *reipsa condendam non inservit*, est illud tamen etiam tum verum principium de se, & in se aptum ad demonstrandas veritates contingentes, quas *actu* demonstraret, nisi alia obstarent: semper enim, si analysis fieret aut fieri posset, ad rationem sufficientem perveniretur, quæ unica est, cur primum earum veritatum principium statuatur. Certe si plus requireretur ad rationem primi principii, nullum proreus in orbe extaret; neque enim semper præsentia, aut absentia contradictionis certo cognosci, seu idea clara, & distincta, quam tanto Cartesiani opere jactant, haberri potest.

- 3). Ratio sufficiens nos sæpiissime latet: ergo nec in potentia per principium rationis sufficientis demonstrari possunt omnes veritates contingentes.

R. d. ant. idque *ex defectu intelligentiae nostræ limitatæ c. ant.* idque *ex defectu interno, n. ant. & con.* Fateor, frequenter nos ignorare, quænam sit determinati aliquius rationati ratio sufficiens; verum id brevitiati intelligentiae nostræ tribuendum

est, quæ efficit, ut quamplurima in rebus physicis nesciamus. Interea tamen cuiusvis rationati sua datur ratio sufficiens, eaque in se est vere cognoscibilis, quin & cognoscetur reipsa, si alia abessent impedimenta.

4.) Si nihil est sine ratione sufficiente, tunc in mundo datur series continua rationum sufficientium, & rationatorum, ita ut rationatum præcedentis rationis fiat ratio subsequentis rationati, & sic porro; sed talis series admitti non potest: ergo datur aliquid sine ratione sufficiente *m. p.* talis series tollit libertatem, & contingentiam; ergo admitti non potest.

R. d. M. in caussis necessariis c. M. in causis liberis n. M. & sic d. m. n. con. ad prob. rursus d. ant. in caussis liberis c. ant. in caussis necessariis n. ant. & con. In causis liberis, quæ nempe habitis omnibus ad agendum requisitis possunt agere, vel non agere, nulla datur id genus series rationum sufficientium, & rationatorum; neque enim, ut Leibnitiani docent, ratio sufficiens cuiusvis actionis liberæ in statu antecedente caussæ agentis continetur, sed quærenda ea est in libero arbitrio, atque ad hoc a quavis actione redeundum; unde series actionum liberarum numquam continuatur, quemadmodum in psychologia fusius demonstrabo. Quodsi talis series ex principio rationis sufficientis proflueret, actum omnino foret de nostra, Deique ipsius libertate: quare viderint Leibnitiani, quam malam caussam defendendam sumant. Quod deinde ad caussas necessarias, seu alias, quæ ex natura sua ad agendum determinantur, cum omnia adsunt requisita, attinet, in iis dari ejusmodi seriem rationum sufficientium continuam negari nequit; sic enim omnes naturales in mundo motus, ut in a-

stris, in generatione, & corruptione plantarum, in mutationibus tempestatum, ut in machinis quoque arte confectis, ut in horologio, perficiuntur. Verum inde nec libertas, nec contingentia laeditur: non imprimis libertas; hæc enim alioquin non datur in his caassis, quæ per naturam suam ad eam recipiendam ineptæ sunt: nec deinde contingentia; necessitas enim, qua subsequentes rationes sufficientes, & rationata in tota serie existunt, consequitur hypothesis, quod prima ratio sufficiens existat, quæ tamen contingenter, & libere a Deo posita est. Sume *a, b, c, d, &c.* ita ut *b* sit rationatum ipsius *a*, & simul ratio sufficiens ipsius *c*, & sic ulterius; jam etsi hanc seriem in infinitum continues, tamen ultimum *z* non alia necessitate existet, quam quæ fluit ex hypothesi, quod *a* existat: cum igitur *a* contingenter existat, necessitas hæc ex tali serie profluens sequitur hypothesis contingentem, atque adeo contingentiam non tollit, quod suo loco ostendam.

5.) Principium rationis sufficientis nulli est usui in aliis disciplinis a metaphysica distinctis, atque in hac etiam a solis fere Leibnitianis adhibetur, utpote veteribus prorsus incognitum, & a Leibnitio primum inventum, ac in philosophiam introductum. Quid quod magnam quoque sit ejus applicatio errandi periculum, ut exemplo Archimedis, & ipsius Leibnitii patet, quorum ille hoc usus principio telluri figuram sphæricam tribuit; hic humanæ voluntati libertatem ademit.

R. ad singula. Primum non esset difficile per currendo nominatim scientias diversas contrarium ostendere, sed ut brevitati consulam, sic habeto: principium rationis sufficientis cum altero contradictionis non modo utile, verum & necessarium est in me-

taphysica, ac præcipue ontologia ad explicanda ea, quæ enti insunt, & inesse possunt, in quo ipsa tota versatur. Jam vero, cum omnes reliquæ scientiæ a metaphysica, & imprimis iterum ab ontologia suarum demonstrationum principia mutuentur (§. 3. schol.), facile patet duo hæc principia mediante saltem ontologia ad omnes omnino scientias pertinere. Id tamen probe notandum, in iis disciplinis, quæ in veritatis duntaxat necessariis demonstrandis occupantur, qualis est geometria theoretica, principio rationis sufficientis locum esse non posse, utpote quod ad veritates solum contingentes se extendit.

Etsi porro principii hujus usum frequentiorum in philosophia effecit Libnitius, non tamen istud veteribus adeo incognitum fuit, ut adversarii volunt: notum id fuit Archimedi, qui ejus ope præcipuum statices principium demonstravit; æqualia videlicet pondera ab æqualibus longitudinibus suspensa esse in æquilibrate, neque libram sine ratione in alterutram partem inclinare: notum id fuit Platonis, cuius hoc est enunciatum: *omne, quod fit, a ratione aliqua fiat, necesse est, prorsus enim impossibile est, ut aliquid sine ratione fiat.* Notum id fuit Ciceroni, qui eo in refutanda atomorum declinatione, quam Epicurus conimentus erat, usus fuit; notum denique id aliis quoque fuisse ex trito illo: *nihil sine causa: colligere licet; potestas enim hujus vocabuli olim latius patuisse, atque nunc, eamdemque, quæ rationi subjecta est, notionem denotasse omnino videtur.*

Denique periculosum esse principii rationis sufficientis usum iis, qui vel ex nimia ingenii fiducia, vel ex anticipatis quibusdam opinionibus, vel qua demum cumque alia de caussa eo abutuntur, lubens admitto;

*In Thymæo l. 1.
de fin. c. 1.
i. & de
fato c. 20.*

at inde nequaquam sequitur illud interno quodam vitio laborare, quemadmodum nec principium contradictionis jure carpi potest, quod nonnulli ad constabiliendos errores illud adhibuerint: nempe & hic quoque usus ab abusu accurate discernendus est. Fateor igitur tam Leibnitium in explicandis liberis Dei, hominumque actionibus, quam Archimedem in constituenda telluris figura turpiter aberrasse: verum hic ad rationes latentes, ille ad discrimen rationis internæ, & externæ animum accuratius advertendo facile errorem evitasset.

C A P U T III.

De Mutua Duorum Principiorum Relatione.

XXVI. *Principium rationis sufficientis reducitur ad principium contradictionis.* Omnis ea veritas reducitur ad principium contradictionis, in cuius analysi eo pervenio, ut deprehendam, aliquid, si ita non esset, simul fore, & non fore (§. 15. & cor.); sed in analysi principii rationis sufficientis deprehendo aliquid, si illud falsum esset, fore simul, & non fore (§. 21.); ergo principium rationis sufficientis reducitur ad principium contradictionis.

Croll. Igitur principium rationis sufficientis non est absolute, sed solum relative, nimirum relatum ad veritates contingentes, primum.

XXVII. *Omnes veritates contingentes mediate reducuntur ad principium contradictionis.* Omnes veritates contingentes reducuntur ad principium rationis sufficientis (§. 24. cor.); sed ipsum hoc principium ulterius reducitur ad principium contradictionis (§. præc.): ergo etiam omnes veritates contingentes mediate, mediante nimirum principio

Principium rat.
suff. suffi-
citur
princ.
cont.

Et non
est abs-
olute pri-
mum.

Veritates
etiam
contin-
gentes
pertinent
ad princ.
contr.

rationis sufficientis, ad principium contradictionis reducuntur.

Coroll. 1. Principium ergo rationis sufficientis est *immediatum*; principium vero contradictionis est *mediatum* omnium veritatum contingentium principium.

Coroll. 2. Atque adeo etiam principium contradictionis est *absolute primum comparate* ad omnes veritates: nempe *absolute primum*, & *immediatum* relate ad omnes veritates necessarias, in quibus ipsum quoque rationis sufficientis principium continetur; & *absolute primum*, ac *mediatum* relate ad omnes veritates contingentes.

Actor. *Schol.* 1. Atque hæc sunt duo illa omnium
Lips. t. 7. nostrorum ratiociniorum, ac demonstracionum principia, de quibus ita Leibnitius:
suppl. *sect. II.* *ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt*; unum est principium contradictionis, vi cuius falsum judicamus, quod falso opponitur, vel contradicit: alterum est principium rationis sufficientis, vi cuius consideramus nullum factum reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enunciationem, nisi adsit ratio sufficiens, cur potius ita sit, quam aliter, quamvis rationes istæ quam sèpissime nobis incognitæ esse queant. Hæc porro duo principia & requiruntur, & sufficient: requiruntur, quia in ontologia exponi debet tam essentia entis, quam ea, quæ in eodem præter essentiam vel inesse possunt, essentia vero ad principium contradictionis, quod propterea principium essentiarum: reliqua ad principium rationis sufficientis, quod ab existentia, vel primo ex contingentibus prædicato, principium existentiarum dici consuevit, pertinent: sufficient, quia plene satisfaciunt quæstioni, cur aliquid sit, vel cur data quævis enunciatio vera sit; quam ex naturalis mentis propensione ponimus, quamprimum ali-

quid esse observainus (conf. §§. 15. 25. cum schol.). Restat ut nonnullis dubiis occurram.

Schol. 2. Ajunt i. Si omnes veritates reducuntur ad principium contradictionis, tunc omnes veritates contingentes evadunt necessariæ; sed hoc omnino absurdum est: ergo *M. p.* in dicta hypothesi omnes veritates contingentes demonstrantur per principium contradictionis; sed quæ per principium contradictionis demonstrantur sunt necessariæ; ergo si omnes veritates reducuntur ad principium contradictionis, veritates contingentes evadunt necessariæ.

R. n. M. ad prob. d. M. In dicta hypothesi omnes veritates contingentes *mediate* demonstrantur per principium contradictionis, c. *M. immediate, n. M. & sic d. m. n. cons.*

Veritates contingentes non immediate, sed mediante solum principio rationis sufficien-
tis, per quod immediate demonstrantur, ad principium contradictionis pertinent, atque ideo contingentes manent; neque enim propteræ natura veritatum mutatur, aut earum contingentia tollitur: intercedit quippe hypothesis contingens, ac mutabilis. Nimirum, licet absolute necessarium sit, ut quidquid est, habeat rationem sufficientem, cur sit; & ut quævis ratio sufficiens, dum est, habeat quoque suum rationatum, non tamen, rationatum necessario existit, nisi ex hypothesi, quod ejus ratio sufficiens, quæ contingenter existit, exstet; & nec ratio sufficiens necessario existit, nisi ex hypothesi, quod contingenter ponatur: prorsus sicut necessitas, qua mundus nunc existit, consequitur hypothesis, quod existat, quodlibet enim, dum est, necessario est. Jam vero necessitas, quæ in hypothesi quadam con-

Occurri-
tur dubi-
tationi-
bus.

tingente innititur, contingentiam nequaquam tollit.

2. Omnes veritates, quæ per principium contradictionis immediate demonstrantur, sunt absolute necessariæ: ergo etiam omnes veritates, quæ per principium contradictionis immediate demonstrantur, sunt absolute necessariæ, c. p. Ideo primum: quia eæ veritates non possunt esse aliter propter principium contradictionis; sed etiam id contingit in iis, quæ mediate ex principio contradictionis demonstrantur: ergo si &c. &c.

R. c. ant. n. con. ad prob. c. M. n. m. Ratio dispar est; quod propter principium contradictionis ita est, id ita est, quia si ita non esset, idem simul esset & non esset, ut patet in rotunditate circuli; atque hoc contingit in iis veritatibus, quæ immediate per principium contradictionis demonstrantur. Contra quod propter principium rationis sufficientis ita est, id ita est, quia, cum utrumque esse possit, adest ratio sufficiens, ut ita sit, & non adest ratio sufficiens, ut non ita sed aliter sit, ut patet in existentia mundi: hoc evenit in veritatibus, quæ mediate solum per principium contradictionis demonstrantur. Colligimus id ex ipsa veritatum natura; quam principium nec efficit, nec immutat; ipsæ enim veritates ob naturam, quam antea habent, aptæ sunt, ut ad hoc potius, quam illud principium immediate reducantur. Discrimen porro duplicis hujus demonstrationis in eo ponitur: demonstratio ex principio contradictionis immediate petita versatur circa essentias rerum per se necessarias, & quæ cum iis connectuntur, generatim procedit, atque ab omni hypothesi vel statu abstrahit, ut patet in quovis theoremate geometrico; de-

monstratio vero ex eodem mediate, atque vel hoc ipso ex principio rationis sufficientis immediate ducta agit de existentiis rerum de se contingentibus, & ad casus singulares restringitur, ponitque hypothesis contingentem quod vel ratio sufficiens, vel rationatum jam existat. Ita exempli caussa ex eo, quod mundus ut rationatum existat, demonstro existentiam rationis sufficientis, voluntatis nempe Dei; aut ab opposito, si aliunde notum foret inesse in Deo voluntatem, ut mundus existat, demonstrarem inde existere quoque ejus rationatum, nimirum mundum: jam quæso, sequiturne inde, aut Deum necessario velle, aut mundum necessario existere, tametsi absolute repugnet, ut vel posita Dei voluntate mundus, vel posito mundo Dei voluntas non existat?

SECTIO II.

DE PROPRIETATIBUS ENTIUM MAXIME UNIVERSALIBUS.

§. XXVIII. Statutis jam primis demonstrationum principiis ipsa entis notio, Iac universales ejus proprietates investigandæ veniunt (§. 7.). Campus hic quidem se aperit latissimus: ego tamen ea solum seligam, quæ præ reliquis scitu necessaria sunt, & eo unumquodque ordine adducam, qui subsequentibus demonstrandis inservit.

C A P U T I.

De Impossibili, & Possibili.

Quid im- XXIX. *Impossibile* vocamus illud, quod in
possible, suis notis essentialibus contradictionem invol-
& possi- vit, ut *circulus quadratus*; est enim impos-
bile? sibile, ut aliquid simul sit, & non sit. *Possibile* contra illud est, cujus notæ essentia-
les sibi non opponuntur: ut *circulus rotun-
dus*.

Coroll. 1. Cum notæ oppositæ consociantur,
notæ, quæ ponuntur, simul tolluntur, pro-
indeque nihil remanet, sicut cum a posito
ternario aufertur ternarius: igitur impossi-
bile est *nihilum*.

Coroll. 2. Impossibilis nulla datur idea, & si
quæ haberi putetur, fallax est, seu dece-
ptrix, ac termino inani exprimenda (§§.
51. cor. 3. schol. & 77. schol. log.)

Coroll. 3. Et ab opposito possibile est *aliquid*,
potestque aliqua idea repræsentari; & o-
mnis idea, in qua non conjunguntur notæ
sibi oppositæ, est vera idea, habetque obje-
ctum possibile.

Schol. 1. Etiam possibile, quamdiu non exi-
stит, nihilum est; quare, ut discriminem sta-
tuatur, illud *nihilum positivum*: impossibi-
le vero, *nihilum negativum* vocarunt
philosophi. Inde intelligi potest sensus ca-
nonis: *ex nihilo nihil fit*: ex nihilo nimi-
rum negativo effici omnino nihil potest.

Schol. 2. Ex eo, quod nulla de impossibili
idea formari possit, non sequitur, omne id,
quod intelligere non possumus, esse impos-
sibile, ut pessime ratiocinatur Joan. Cleri-
cus; sed horum velut oblitus saniora paulo
post præcipit: *impossibilia igitur dicere*

Præf. ad
ontol. §.
8. Ontol.
cap. 14.
§. 8.

*non possumus, quæ nescimus, an una consi-
stere queant, nec ne; hoc autem nescimus,*

quando eorum, quæ comparamus, natura nobis ignota est.

XXX. Possibile vel in se, notisque suis essentialibus, quæ secum non pugnant, spectatur, vel refertur ad vim & efficaciam causæ, a qua produci potest ; illud *interne*, hoc *externe* possibile esse dicitur.

Schol. Sic, quia non repugnat, ut ex marmore fiat statua, hæc *interne* est possibilis ; at si ponas nullum extare artificem, eadem erit *externe* impossibilis ; quod si is existat, statua tam *interne*, quam *externe* possibilis evadit. Est igitur possibilitas interna ipsa in notis essentialibus contradictionis absentia, seu quod idem est, *habilitas ad existendum fundata in concordia notarum essentialium* ; externa vero *habilitas ad existendum fundata in vi, ac virtute caussæ producentis*, habeturque, cum adest caussa quæ possit producere id, quod interna possibilitate gaudet. Facile porro inde colleges, quid sit impossibilitas interna, ac *externa*. Verum hæc possibilitatis rerum partitio acres naœta est inter philosophos adversarios, unde necesse est, ut solidis confirmetur argumentis : quod ut rite fiat, primum omnis controversiæ status ante tironum oculos ponendus est (§. 202. sch. l. i. log.). Quæstio hæc fere revocatur tota ad res a Deo procreandas : ad hanc enim normam de aliis mutatis mutandis, ratiocinandum erit. Sunt nempe nonnulli, qui omnem possibilitatem rerum internam, & habilitatem ad existendum, quæ ipsa illarum natura fundetur, tollunt, solamque *externam* fundatam in viribus caussæ efficientis, sive in Dei omnipotentia agnoscent ; hi rogati, *cur alter mundus sit possibilis?* respondent, *quia Deus est omnipotens*. Sunt ex adverso alii, qui utramque possibilitatem propugnant, asseruntque Deum nihil, quod

Quid
possibili-
tas inter-
na, &
externa.

Quis con-
troversiæ
status ?

in natura sua contradictionem involvit, producere posse: horum opinione ratio adæquata, cur aliquid possibile, seu existere posse dicatur, partim ab ipsa rei natura, partim ab omnipotentia Dei repetenda est: quare, cum quæritur, *cur alter mundus existere possit?* reponunt: *quia ob carentiam contradictionis in notis essentialibus habilis est ad existendum, & quia Deus pollet potentia efficiendi, quidquid in se non repugnat.* Utra harum verior sit, jam videamus.

XXXI. *Si non datur impossibilitas interna, tunc ideo solum aliquid existere non potest: quia Deus illud nequit efficere.* Si non datur impossibilitas interna, tunc ratio cur aliquid existere non possit, non erit in illo ipso, sed in Deo; sed si ratio, cur aliquid existere non possit, est in Deo, tunc ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere: ergo si non datur impossibilitas interna, ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere.

Coroll. Ergo etiam inverse; si ideo solum aliquid existere non potest, quia Deus illud nequit efficere, tum non datur impossibilitas ipsis rebus interna.

Schol. Theorema præsens per applicationem ad casus singulares mirifice illustratur (§. 228. schol. n. 5. log.). Certum est vi principii contradictionis sphæram quadratam existere non posse, esset enim, & simul non esset sphæra: singamus jam in sphæra quadrata non inesse impossibilitatem internam, quid igitur erit caussæ, cur tamen existere nequeat? profecto nihil restat aliud, quam ut dicamus sphæram quadratam ideo solum existere non posse, quia Deus illam nequit efficere. Similes applicationes in sequentibus hisce theorematibus tute facies.

XXXII. *Si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud efficere nequit, omni-*

potentia Dei limitibus circumscribitur. Si aliquid ideo solum existere non potest, quia illud Deus efficere nequit, tum hujus impossibilitatis ad existendum nulla alia ratione cogitari quidem potest, quam imbecillitas omnipotentiae divinæ; sed si omnipotentia divina imbecillis est, ea limitibus circumscribitur: ergo si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud non potest efficere, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.

XXXIII. *Si non datur impossibilitas interna, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.* Si non datur impossibilitas interna, tum aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud nequit efficere (§. 31.); sed si aliquid ideo solum existere non potest, quia Deus illud nequit efficere, tum omnipotentia Dei limitibus circumscribitur (§. præc.): ergo si non datur impossibilitas in ipsis rebus interna, omnipotentia Dei limitibus circumscribitur.

XXXIV. *Si non datur possibilitas interna, etiam non datur impossibilitas interna.* Si non datur possibilitas interna, tunc ideo solum aliquid potest existere, quia Deus illud potest efficere: ergo etiam ideo solum aliquid non potest existere, quia Deus illud non potest efficere: sed si ideo solum aliquid non potest existere, quia Deus illud nequit efficere, tum non datur impossibilitas interna (§. 31. cor.): ergo si non datur impossibilitas interna, neque datur possibilitas interna.

XXXV. *Si non datur possibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata.* Si non datur possibilitas interna, etiam non datur impossibilitas interna (§. præc.); sed si non datur impossibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata (§. 33.): ergo si non datur possibilitas interna, omnipotentia Dei est limitata.

XXXVI. *Datur possibilitas interna, Si non*

*Datur possibili-
tas inter-
na.*

datur possilitas interna, omnipotentia Dei est limitata (§. præc.) ; sed omnipotentiam Dei esse limitatam est manifeste contradicitorum, & absurdum : ergo datur possilitas interna.

Coroll. 1. Adæquata igitur ratio, cur aliquid possit existere, non in sola omnipotentia Dei reponitur, sed requiritur præterea habilitas rei interna ad existendum.

Coroll. 2. Omnipotentia Dei se porrigit ad omnia, & sola possibilia, sive, ut ajunt, producibilia : hinc rite definitur, quod sit potentia, quæ potest efficere, quidquid est possibile, estque ipsa rerum possilitas externa.

Coroll. 3. Universim nunquam potest dari externa rei cuiuspiam possilitas sine interna ; & neque interna sine externa, attamen comparate dumtaxat ad Deum : inde si vis demonstrare argumento positivo, posse a Deo aliquid effici, antea demonstrandum tibi erit, illud in se non repugnare.

Schol. Quæ ab adversariis opponuntur, hæc fere sunt. Ajunt

Argu-
mentis
adversa-
riorum
responde-
tur.

1.) Ponuntque hypothesim per se quidem absurdam. Si nimirum fingamus cessare quasi, vel tolli in Deo omnipotentiam, tolleretur eo ipso omnis rerum possilitas. Inde sic inferunt : illud, quo sublato tollitur omnis rerum possilitas, est sola, & adæquata ratio omnis possilitatis, sed sublata in Deo omnipotentia tollitur omnis rerum possilitas : ergo omnipotentia Dei est sola, & adæquata ratio omnis possilitatis.

R. d. M. Illud, quo sublato tollitur formaliter omnis rerum possilitas, est sola &c.
c. M. illud, quo sublato tollitur partim formaliter, partim consequenter omnis rerum possilitas, est sola, & adæquata ratio omnis possilitatis, *n. M.* et sic *d. m.* *n. con-*

Cum omnipotentia Dei vi definitionis suæ sit solum possilitas rerum externa (§. præc. cor. 2.), ea sublata tollitur quidem formaliter.

ter possibilis externa, interna vero tantum consequenter; ex eo enim, quod tollam in Deo omnipotentiam, per conclusionem legitimam infero nullam amplius superesse internam rerum possibilitatem: nimirum, cum omnipotentia sit potentia, quæ potest producere quidquid est possibile, tamdiu fingere non possum cessare in Deo omnipotentiam, quamdiu cogito superesse aliquid, quod sit in se possibile. Dicitur porro re aliqua vel intellecta, vel posita, vel ablata formaliter, vel intelligi, vel poni, vel auferri illud omne, & solum, quod in rei illius conceptu formaliter, id est, in definitione essentiali ponitur ut *essentiale constitutivum*, vel, ut nonnulli cum veteribus dicunt, quod *importatur in recto*: illud contra re aliqua intellecta, posita, vel ablata consequenter intelligitur, ponitur, vel auferatur, quod vel prorsus in definitione rei locum non habet, sed tamen cum uno ex constitutivis connectitur, vel ponitur quidem in definitione, at non ut *constitutivum*, verum duntaxat ut *terminus*, seu *objectum*, vel ut alii loquuntur, *importatur in obliquo*: sic posito, vel ablato homine formaliter ponitur, vel auferatur vis sentiendi, & ratiocinandi, consequenter vero capacitas eruditioonis: sic quoque ablata omnipotentia Dei tollitur formaliter possibilitas externa, quæ in ejus definitione *in recto*, & consequenter interna, quæ in *obliquo* importatur; cum sit potentia potens producere omne possibile. Jam vero ex eo, quod sublata omnipotentia Dei interna rerum possibilitas consequenter tollatur, neutquam sequitur hanc omnipotentiam esse solam, & adæquatam rationem omnis rerum possibilitatis; sicut ex eo, quod si nullus in republica male agat, scelera formaliter cesserent & consequenter actus justitiæ vendicativæ, non se-

quitur justitiam vindicativam constitui per scelera, aut vicissim.

- 2.) Aliam, nec minus absurdam adferunt hypothesis, qua fingitur Deus non existere, ajuntque: in hypothesi Dei non existentis nulla res esset possibilis; ergo tota rerum possibilitas sita est in Deo, atque adeo in ejus omnipotentia. *Ant. p.* quod interne est possibile, potest existere; sed in hypothesi Dei non existentis nulla res posset existere: ergo in hypothesi Dei non existentis nulla res ne interne quidem foret possibilis. Addunt: Deo non existente ipsa rerum essentia periret: ergo nulla res posset existere ex defectu habilitatis internæ; ubi enim nulla est essentia, ibi nulla est notarum essentialium concordia, hac vero absente ipsa rei interna habilitas ad existendum deficit.
- R. d. ant. externe, c. ant. interne, n. ant. & con.* Etiam in hac hypothesi manerent veræ ejusmodi enunciationes, *notæ essentiales hujus, vel illius rei non involvunt contradictionem*: ac proinde posset res ratione suæ essentiæ existere, gauderetque possibilitate interna; periret tamen possibilitas rei externa, quia Deo non existente nulla extaret caussa vi eam producendi instructa. Sic si ponamus nullum existere in orbe artificem, qui ex hoc marmore sciæ efficere statuam, statua quidem erit externe impossibilis, interne tamen possibilis, quia vera manet hæc propositio; *non est contradictionum, ut ex marmore statua efficiatur*. Nisi dicas ex una contradictione sequi alteram: sed ab hoc objecto abstrahit.
- Ad prob. d. M.* potest existere, ita tamen, *ut egeat actione caussæ efficientis ad accipiendam existentiam reatem, c. M.* ut ea non egeat, *n. M. d. m.* sed in hypothesi Dei non existentis nulla res posset existere, idque *ex defectu actionis caussæ effi-*

cientis c. m. idque ex defectu habilitatis internæ, n. m. & con. Si Deus non existeret, nulla estaret caussa, quæ rem ob concordiam notarum essentialium de se quidem habilem, attamen de se quoque indifferenter ad existendum producat: patet igitur, etiam in hypothesi Dei non existentis sublata possibilitate externa remanere internam, rationemque, cur tum res existere non possent, non in defectum habilitatis internæ, sed in absentiam causæ producentis refundi debere.

Ad id, quod additur, rursus d. ant. Deo non existente ipsa rerum essentia proxime intelligibilis periret, c. ant. etiam remote intelligibilis, n. ant. & con. Essentia entis, ut entis, est ipsa ejus possiblitas; ut in sequente capite patebit: dicitur intelligibilis, cum sit in statu pure logico, consistatque in veritate objectiva: *ens hoc in suis notis essentialibus non involvit contradictionem*: hæc porro veritas, ut quævis alia, est per se intelligibilis, nec id habet a quopiam intellectu, est enim per se apta, ut ab aliquo intellectu cognosci possit, neque generatim loquendo, intellectus efficit veritates intelligibiles, sed intellectas: atque hæc est remota veritatum intelligibilitas; proxima vero tum adesse censenda cum adest intellectus, cuius objectum veritas quæpiam actu esse possit. Cum igitur Deo non existente nullus existeret intellectus, perirent omnino in absurdâ hac hypothesi essentiæ rerum, ut sunt proxime intelligibiles; at hoc non efficit, ut essentiæ rerum, prout remote, & in se sunt intelligibiles, non remaneant, atque adeo etiam, ut Deo non existente nulla detur rerum possiblitas interna.

3.) Rem esse possibilem, & rem posse a Deo effici idem significat; sed rem posse a Deo

effici habetur a sola Dei omnipotentia : ergo etiam rem esse possibilem habetur a sola Dei omnipotentia.

R. d. M. rem esse *tam interne, quam externe* possibilem , & rem posse a Deo effici, idem significat, *c. M.* rem esse *interne solum* possibilem, & rem &c. *n. M. d. m.* sed rem posse a Deo effici *supposita jam possibilitate interna*, habetur a sola Dei omnipotentia, *c. m.* *hac non supposita n. m. & con.* Cum dico : *res hæc est possibilis*, nihil aliud dico, quam, *essentiales rei hujus notæ non involvunt contradictionem*, in quem conceptum, ut patet, omnipotentia Dei non ingreditur; cum vero dico : *res hæc potest a Deo effici*, dico : *Deus habet potentiam hanc rem ex se habilem ad existendum efficiendi*; hic vero conceptus, cum & potentiam Dei, & habilitatem rei comprehendat, utramque rei possibilitatem tam internam, quam externam significat. Ut igitur prior ille huic æquivaleat, necesse est, ut hunc sensum contineat : *res hæc tam interne, quam externe possibilis est*. Nec obest, quod hi duo conceptus se mutuo inferant, id enim solum ex arctissima utriusque possibilitatis connectione oritur ; est quippe omnipotentia Dei potentia potens producere omne possibile; unde quam primum res est possibilis, Deum illam efficere potest, & quamprimum Deus rem efficere potest, illa in se est possibilis. Paritas ab intellectu divino petita rem mirifice illustrat ; nam hic quoque omnino, & solum illud, quod intelligibile est, intelligit. 4.) Possibilitas hæc interna foret æterna ; sed præter Deum nihil potest esse æternum ; ergo id genus possibilitas dari non potest. *m. p.* Nihil potest esse omniscium, vel omnipotens præter Deum etiam tantum, in, & pro statu logico: ergo etiam

nihil potest esse æternum tantum, in & pro statu logico præter Deum c. p. Ideo nihil potest esse omniscium &c., quia omniscientia vel omnipotentia sunt attributa soli enti infinito propria; sed etiam æternitas est attributum soli enti infinito proprium: ergo si nihil potest esse omniscium &c. &c. d. M. foret æterna in, & pro statu logico c. M. in, & pro statu physico, n. M. sic d. m. n. con. Possibilitas rerum interna consistens in hac veritate objectiva: *res in suis notis essentialibus non involvit contradictionem*, eo solum sensu æterna est, quod hæc enunciatio semper fuerit vera, ac nullum momentum concipi possit, quo cum veritate dici potuisset falsa, quodque veritas hæc de se semper fuerit intelligibilis, & reapse ab intellectu divino a tota æternitate intellecta. Jam vero æternitas talis est duntaxat logica, & idealis, neque propterea possibilitas interna aliquid reipsa physice, & in statu actuali fuit ab æterno, multo minus inde aliquid contra Deum, cui soli æternitas physica competit, argui potest. Eodem prorsus sensu possibilitas interna dicitur *necessaria*, ac *immutabilis*, quod nimirum a tota æternitate necessarium, & immutabile fuerit, ut hæc enunciatio vera sit: *res in suis notis essentialibus non involvit contradictionem*; unde hæc pariter necessitas, ac immutabilitas ad statum duntaxat logicum pertinet.

Ad prob. c. ant. n. con. ad hujus prob. d. M. quia omniscientia, vel omnipotentia sunt attributa soli enti infinito *tam quoad statum logicum*, quam *quoad statum physicum*, propria, c. M. *tantum quoad statum physicum*, n. M. sic d. m. n. con. Omnipotencia, omniscientia, aliæque similes perfectiones sunt attributa ejus generis, ac naturæ, ut si vel in statu logico darentur, jam rite

inde concluderetur dari *ens infinitum*, saltem in genere scientiæ, & potentiarum &c. atque inde hæc attributa non modo pro statu physico, vero etiam pro statu logico soli enti infinito competunt, quam ob rationem dari nequeunt in statu pure logico, absolute enim repugnat, ut detur *ens infinitum* in statu pure logico, cum illud deberet posse produci. Ab opposito vero æternitas logica est ejusmodi attributum, ut de se sola non efficiat *ens* ullo in genere infinitum; etsi enim detur *ens* in statu logico æternum, non tamen valebit hæc conclusio: *datur ens infinitum in statu logico*. Ratio est: quia ad *ens infinitum* non sufficit æternitas logica, sed requiritur omnino physica, cum *ens infinitum* ob suam infinitatem semper actu existere debeat. Igitur æternitas physica, non item logica est attributum soli enti infinito proprium.

Quodsi responsionem hac non contentus argumentum continues, dicasque: omniscientia, & omnipotentia sunt attributa soli enti infinito quoad utrumque statum propria: ergo etiam æternitas est attributum soli enti infinito quoad utrumque statum proprium: ultra viam dictorum rationem adferam, ac verum discrimen sic porro exponam. Omnis scientia, & omnipotentia sunt attributa absoluta, nullamque ad ullum statum relationem habent, ac proinde neque cum statu logico, neque cum statu physico connectuntur. Inde si daretur *ens omniscium*, vel omnipotens in statu logico, deberet illud etiam sic produci posse, atque sic producendum maneret omniscium, vel omnipotens in, & pro statu quoque physico, hoc est, *ens* saltem in linea scientiarum, vel potentiarum infinitum. Contra æternitas logica, vel æternitas pro statu logico, de qua hic solum sermo est, ita essentialiter connectitur cum

statu logico, ut ab illo divelli, & in statum actualis transferri nequaquam possit ; cum enim ens, quod vi sue essentiæ, seu possibilitatis æternum est, in, & pro statu logico, producitur, non propterea æternum est in, & pro statu physico, in hoc quippe per sui productionem acquirit initium existendi : quia tamen ens illud jam quidem actualis simul tamen possibile manet, retinetur quoque æternitas ea, quæ ad statum logicum, seu possibilitatis pertinet.

5.) Si daretur possibilitas interna, Deus illum in procreandis creaturis præxigeret ; sed hoc dici non potest, foret enim omnipotentia Dei limitata : ergo. Neque juvat dicere hanc possibilitatem esse solum terminum, vel objectum actionis divinæ : nam etsi marmor sit tantum terminus, & objectum actionis, tamen artifex, qui sine eo statum efficere non potest, imperfectus, & limitatus est, quia nempe terminum sue actionis sibi efficere non potest ; ergo pariter idem de omnipotentia Dei dicendum.

R^d. M. tamquam terminum, vel objectum sue actionis c. M. tamquam caussam adjuvantem, vel determinantem, n. M. sic d. m. n. cons. Possibilitas interna, sine qua omnipotentia Dei agere non potest, non adjuvat omnipotentiam in agendo, nec vires illius supplet, ut cum quis alteri in elevando graviori pondere succurrit ; neque determinat omnipotentiam Dei ad agendum, sed tam actionem, quam ejus omissionem ipsi prorsus liberam relinquit : quodsi alterutrum horum eveniret, manifeste inde sequeretur limitatio omnipotentiae divinæ. Est igitur hæc possibilitas objectum duntaxat omnipotentiae divinæ, terminus, in quo ejusdem actio terminatur, vel si mavis, conditio, sine qua nullius rei præcreatio fie-

ri potest. Neque hoc mirum est ; omnis enim potentia ex natura sua requirit aliquod objectum , sunt quippe potentia , & objectum correlata : sic intellectus divinus quoque, ut cognoscat, exigit terminum, vel objectum cognoscibile , neque ullo modo, quod cognoscibile non est, cognoscere potest , quin tamen propterea infinitæ ejus perfectioni vel minimum decedat . Igitur etiam omnipotentia Dei nihil ideo perfectionis amittit, quod ad actionem suam exigit terminum producibilem , & nullo modo producere possit , quod in se producibile , seu possibile non est . Ex his porro patet , quem sensum contineat hæc enunciatio : *Deus potest aliquid producere, quia illud est possibile, si vera esse debeat : nimirum vocabulum quia denotat solum conditionem, vel objectum prærequisitum, non vero causam , vel rationem a priori . Nam Deus, quidquid in se est possibile , potest producere, quia, cum sit ens infinitum, ad illius essentiam pertinet posse producere , quidquid est possibile ; paritas ab intellectu rursus accommodatissime servit, estque proinde adversariis identidem inculcanda .*

Quod vero ad artificem, de quo supra dictum est, attinet . Artifex materiam physice præexistentem exigit ; nequit enim illi existentiam tribuere, sed, quod unum potest, partes diverso modo disponendo figuram inducit . Deus vero, cum possibilitatem logicam ut terminum suæ actionis ex statu logico, in quo physice nihil erat, transfert in statum physicum : unde immensum hoc discrimen oritur in eo positum , quod res producta quoad totum suum esse physicum a Deo ; statua vero quoad solam suam formam ab artifice pendeat .

Sed dices fortasse : si omnipotentia Dei sibi

non posset efficere terminum physicum suæ actionis, ea foret limitata : ergo etiam cum omnipotentia Dei non possit efficere terminum logicum suæ actionis, ut ex concessis habetur, ea erit limitata. Verum nego, id, quod in conclusione infertur ; imprimis enim si omnipotentia non posset efficere terminum physicum, tunc res existentes suam existentiam non a Deo, sed vel a se, vel aliunde accipere deberent, quod in Deo imbecillitatem argueret : contra, si omnipotentia non potest efficere terminum logicum, tunc omnipotentia id non potest, quod vi suæ essentiæ, & naturæ posse non debet, atque eam ob rem nullus in illam defectus redundat. Nempe omnipotentia efficiens sibi terminum logicum suæ actionis contradictoria est, & absurdâ, quemadmodum intellectus, qui sibi efficiat terminum intelligibilem, repugnat. Jam vero neque potentia contradictoria perfectio dici potest, neque propterea, quod ea desit, nulla in Deum cadit imperfectio ; quin potius ideo Deus est infinite perfectus, quia nihil imperfectionis in eo continetur. Patent hæc omnia iis ex rationibus, quibus præsentis theorematis veritatem demonstravi.

XXXVII. Sunt & alia impossibilium genera. Imprimis illud, quod (§. 29.) definitum est, dicitur *absolute impossibile* : huic opponitur *hypothetice impossibile*, quod sub certis solum adjunctis repugnat ; *sic repugnant tenebræ in cubili*, dum illud a sole illuminatur. Deinde aliud est *metaphysice*, aliud *physice*, aliud *moraliter impossibile* ; illud idem est cum *absolute impossibili*, ut *circulus quadratus* ; alterum, quod secundum stabilitas a Deo naturæ leges fieri nequit, *sic ignis nequit stupram sibi admotam non comburere* : ultimum quod salvis morum, humanæque prudentiæ legibus, aut sine summa quadam difficultate

Quæ impossibilium genera ?

fieri non potest, veluti parentem optimum a filio probo occidi (conf. §. 162. log.).

Coroll. 1. Quod absolute vel metaphysice est impossibile, nunquam fieri potest possibile; contra quod hypothetice solum impossibile est, sublata ea conditione evadit possibile.

Coroll. 2. Quod si conditio nullo modo tolli possit, id quod quidem solum hypothetice impossibile est, æquiparatur reipsa absolute impossibili: *sic absolute, & metaphysice impossibile est, quod Deus salva sua sapientia, vel bonitate efficere non potest.*

Coroll. 3. Ea, quæ physice, vel moraliter repugnant, ad hypothetice impossibilia revocari posse per se clarum est.

Schol. Quod ad moralem impossibilitatem attinet, duo monenda veniunt. Primum, librorum scriptoribus frequenter in usu est, ut per impossibilitatem absolute pronuntiam solum mortalem, aut majorem aliquam difficultatem intelligent: quare acumine opus est, & si quando hoc vocabulum occurrit, verus sensus ex præscripto legum criticarum (§. 226. sch. log.) exigendus. Alterum: notio impossibilitatis moralis, quam vulgo Leibnitiani statuunt, aut prorsus erronea, aut saltem universalis non est: audiamus omnium loco Baumeisterum. *Moraliter impossibile, inquit, dicitur illud, quod quidem non in se contradictionem involvit, infert tamen repugnantiam in hoc, illove subjecto ob intercedentes subjecti illius perfectiones morales.* Tum rei explicandæ gratia exemplum adjungit: *deterius præferre meliori, non in se quidem involvit contradictionem, adeoque in se non est impossibile, at Deo tamen id est impossibile ob ipsius sanctitatem, & sapientiam.* Tamen deterius itaque præferre meliori repugnat sapientiæ divinæ, & sanctitati, tanquam perfectionibus

Dei moralibus, adeoque est moraliter impossibile. Hæc certe definitio, tametsi, cum de rebus creatis, quarum perfectiones morales contingentes sunt, atque ideo abesse possunt, agitur, aliqua possit ratione tolerari, nullo tamen pacto ad Deum quoque extendi potest, proindeque universalis non est; moralis enim id genus impossibilitas in Deo a metaphysica nequaquam discrepareret. Ratio est, quia quidquid pugnat cum perfectionibus Dei moralibus, est vera imperfectio: est autem metaphysice impossible, ut vera sit in Deo imperfectio: igitur & metaphysice, non solum moraliter impossible est, ut illud insit in Deo, quod ejus perfectionibus moralibus repugnat. Idem & hac ratione ostenditur: electio minoris boni est ex mente Baumeisteri Deo hypothetice, nimirum sub conditione, quod in ipso hæc perfectiones morales sanctitas, & sapientia insint, impossibilis, atque hanc impossibilitatem ille moralem vocat; jam vero quis nescit hanc conditionem absolute tolli non posse? evidens enim est Deum, utpote ens infinitum, sapientia, aut sanctitate nequaquam carere posse: consequens igitur est, ut moralis hæc impossibilitas vim, & efficaciam absolute, ac metaphysice possideat (cor. 2.). Quodsi vero ita, hæc Leibnitianorum opinatio Deum fatali cuidam necessitati subjicit. Sed de hoc alias.

C A P U T II.

*De Ente, ejusque Essentia, ac existentia,
& quibusdam aliis hac pertinentibus.*

XXXVIII. *Ens* voco id, quod est possibile; *Non ens*. Quid ens, & non ens?

XXXIX. *Determinatum* dicitur, cum ex duabus contradictione oppositis unum est, & alte-

Quid determina-

tum, &
determi-
natio.
Diluc.
§. 28.

rum non; quodque ex duobus contradictoriis
enti competit, determinatio entis appellatur.
Schol. Rem apposite declarat Bulfingerus: pen-
sitatis casibus, quibus aliquid determina-
tum dicitur, vel indeterminatum, depre-
hendo in prioribus rem ita esse comparatam,
ut una propositionum de ea re contradic-
toriarum vera sit, & altera falsa: in posterio-
ribus id non adesse deprehendo. *An* Titius est
dives? dic: Titius est dives, non est dives.
Altera propositio est vera, altera falsa. *An* homo
est dives? dic: homo est dives, homo
non est dives: non est altera vera, & alte-
ra falsa; potest utraque esse falsa, & utra-
que vera, prout subjectum homo vel univer-
saliter sumitur, vel particulariter pro his,
aut illis. Prioris dicitur determinata veritas
posterioris indeterminata (conf. §. 58. log.).

Quid
realitas,
defectus
& limes?

XL. Realitas est, quod aliquid ponit in en-
te, huic opponitur defectus. Cum igitur con-
tradictorum unum ponat aliquid esse, alte-
rum ponat aliquid non esse, illud est reali-
tas, hoc defectus. Porro realitas vel conjun-
gitur cum aliquo defectu, vel non; illa limitata:
haec *absoluta*, seu *illimitata*: & defec-
tus ulterioris realitatis *limes*, sive *terminus*
audit. Generatim quidquid terminis circum-
scribitur, *limitatum*, seu *finitum*; quod vero
nullo limite concluditur, *illimitatum*, seu *in-
finitum* est.

Coroll. 1. Omnis determinatio in ente vel rea-
litas est, vel defectus.

Coroll. 2. Quidquid cogitari potest, vel fini-
tum est, vel infinitum.

XLI. *Id*, quod nullam negationem involvit,
est possibile. Quod non involvit contradic-
tionem, illud est possibile (§. 29.): sed quod
nullam negationem involvit, neque contradi-
ctionem involvit (§. 114. cor. 1. log.): ergo,
id, quod nullam involvit negationem, est pos-
sibile.

XLII. Nullas realitas in se spectata negationem involvit. Realitas in se spectata est vel absoluta vel limitata (§. 40.) ; sed neutra in se spectata negationem involvit : non continet. Nulla realitas in se negationem continet.
illa ; cum enim sit absque defectu, merum esse, & nullum non esse involvit : non hæc , si enim in se spectatur, abstrahitur a defectu, quocum conjungitur, & consideratur duntat, ut est realitas, ac proinde rursus merum esse, & nullum non esse involvit : ergo nulla realitas in se spectata negationem involvit.
Coroll. 1. Omnis realitas in se spectata est possibilis (§. 41.).

Coroll. 2. Realitas, quæ possibilis est ut limitata, etiam possibilis est ut absoluta.

XLIII. Nulla realitas in se spectata alteri realitati pariter in se spectatae contradicit. Nulla realitas alteri contradicitur.
Ubi nulla est negatio, ibi nulla est contradictione (§. 114. cor. 1. log.) sed nulla realitas in se spectata negationem involvit (§. præc.): ergo nulla realitas in se spectata alteri pariter in se spectatae contradicit.

Coroll. 1. Quidquid realitati in se spectatae contradicit, illud non est realitas in se spectata, sed vel defectus, vel realitas cum defectu conjuncta.

Coroll. 2. Omnes possibiles realitates absolute in eodem ente componi possunt, atque adeo ens omnibus possibilibus realitatibus absolutis praeditum est possibile.

XLIV. Ens positivum dicunt, cum concipiatur quæpiam realitas, ut *visio*, cum vero defectus tamquam realitas cogitatur, oritur ens *privativum*; quando refertur ad subjectum oppositæ realitatis recipiendæ capax, ut *cæcitas in homine*; vel *negativum* in casu opposito ut *cæcitas in lapide*. Quid ens positivum, privativum, & negativum?

Schol. 1. Cavendum magnopere, ne in dijudicandis realitatibus ac defectibus grammatica vocabulorum etymologia deludamur ; paupertas enim, verbi gratia, etsi videatur af-

Quid vocabula negativa?

Essai
concer. p.
intend.
hum. l. 2.
ch. 8. §. 5.

firmationem sonare, notat defectum ; contra infinitas, licet negationis speciem præferat, realitatem indicat. Universim vocabula negativa absentiam idearum positivarum explicant, velut *insipidum*, *silentium*, *nihil*, quemadmodum egregie docet Lockius : est nimirum negatio separatio unius ideæ ab altera ; hancque separationem, quæ est positivus mentis actus, vocabulo *nihil*, vel alio quovis negativo exprimimus. Vide P. Buffier (conf. §. 77. sch. log.).

Quid ens Schol. 2. Faciunt etiam mentionem *entis rationis*, *ficti*, & *imaginarii*. Primum illud est, quod extra mentis conceptum ita, ut cogitatur, existere nequit , qualia sunt omnia objecta idearum abstractarum (§. 73. sch. l. 2. log.). Alterum, quod tametsi eidem existentia repugnet, nos tamen ob ideam aliquam deceptricem (§. 77. schol. log.) existere posse præsumimus, ut est *republica atheorum* a Baylio conficta. Ultimum quod ideâ imaginaria repræsentatur (§. 152. schol. log.) ut *memoria* velut idearum receptaculum concepta.

Quid essentia XLV. *Essentia* est nota, quæ, quod ceteræ, quæ in ente insunt, ex eadem profluunt, primo a nobis loco concipienda est (conf. §. 52. log.). Si plures hac proprietate gaudent, *essentialia* dicuntur : ut *vis cogitandi in spiritu*; *vis sentiendi*, & *ratiocinandi in homine*.

Coroll. Per se patet essentiam esse determinationem entis (§. 39.).

Schol. Cum per id genus notas res quælibet in certa entium classe constituatur, atque ab omnibus aliis discernatur, veteres dixerunt essentiam esse id, per quod res est præcise hæc res, & non alia, simulque ab omnibus aliis differt, ac eam quidditatem vocarunt, quod per essentiam respondeatur ad quæstionem ; *quid res sit* ?

XLVI. Possibilitas est essentia entis generatim spectati. Quidquid possibile est, ens est (§. 38.): ergo in ente generatim spectato possibilitas primo loco concipi debet; sed essentia est id, quod primo loco concipi debet (§. præc.): ergo possilitas est essentia entis generatim spectati.

Possibilitas est essentia entis.

Coroll. Clarum quoque est, quodvis ens habere suam essentiam, nec eadem unquam ex poliari posse.

Schol. Sicut vero essentia entis generatim spectati est ejus possilitas in genere; ita quoque entis cuiuslibet ad certam speciem determinati essentia est ejus possilitas ad eam speciem redacta, sive modus, quo ens ejus speciei possibile est; sic *spiritus per vim cogitandi, animal per vim sentiendi, homo per vim sentiendi & ratiocinandi, horologium per talem talium partium nexum possibile est.* Porro diligenter advertat philosophus, essentiam, de qua hic sermo est, esse duntaxat metaphysicam, seu idealem; realis enim, sive physica per collectionem omnium proprietatum rei existenti re ipsa convenientium constituitur, ut monui (§. 86. sch. 2. log.). Videri quoque potest P. Buffier.

XLVII. Unum generatim notat divisionis negationem. Si *a* sit unum, *b* unum, *c* unum, *d* unum &c. *a*, *b*, *c*, *d*, &c. dicuntur multa. *Unitas metaphysica* est negatio divisionis essentialium; multorum collectio multitudo vocatur. Videatur Dariesius.

Schol. Philosophi præterea distinguunt unum per se, & unum per accidens: illud est, cum multa, quæ unum constituunt, a natura ipsa ad eam compositionem ordinantur, ut *homo constat corpore, & animo*: hoc, cum multa temere in unum conveniunt, ut *acervus lapidum temere congestorum*. Alio vero, & minus proprio sensu sumitur pro-

Trait. de primi.

ver. p. 2.
ch. 2. 4. 5.

Qui
unum &
multa?
Phil.

prim. 69.

21. & 22.

eo, quod est unicum, ut cum dicimus: Deus est unus.

*Omne
ens unum
est.*

XLVII. *Omne ens unum est.* Cum ponitur ens, ponitur omne id, per quod ens est hoc & non aliud, id est, ponuntur omnia essentialia; ergo ponitur negatio divisionis essentialium; sed hæc est unitas (§. præc.); ergo cum ponitur ens, ponitur unitas, seu quod idem est, omne ens est unum.

Schol. Inde hæc axiomata patefiunt: *essentia rerum sunt indivisibiles, sunt sicut numeri, non recipiunt magis et minus.* Nimirum quaternarius, exempli gratia, est numerus unus, constatque quatuor unitatibus: hæ sunt quidem de se separabiles, verum, ut constituunt quaternarii essentiam, separari nequeunt; adde unitatem, sublato quaternario habebis quinarium; dème unitatem, erit ternarius.

**Quid
subje-
ctum &
affectionis?** *Affectiones* sunt ea, quæ enti conveniunt, nec tamen ad essentialia referri possunt: ens vero spectatum ut habens essentiam, & præterea affectionum capax, *subjectum* vocabo.

Coroll. Determinationes igitur entis vel sunt essentialia (§. 43. cor.), vel affectiones.

**Quæ di-
versitas
inter pos-
sibile &
existens?** *L. Quæstio, quid sit?* a quæstione, *an sit?* diversa est; igitur & essentia, per quam ad illam (§. 45. scol.), ab existentia, per quam ad hunc respondetur, differt: sed essentia entis generatim spectati est ejus possilitas (§. 46.): ergo sola possilitas ab essentia differt: & ex eo, quod aliquid sit possibile, non sequitur idem quoque existere, seu, ut habet canon: *a posse ad esse non valet illatio.* Porro quod existit, est quoque possibile; si enim non esset possibile, foret illud impossibile, & contradictionem involveret, atque adeo simul esset, & non esset, quod absurdum est (§. 11.): igitur & alterius canonis veritas patet: *ab esse ad posse valet illatio.*

Coroll. 1. Possibile igitur est vel existens, vel non existens: illud *actuale*, hoc *nudum*, vel *merum* possibile dicimus. Cum vero omne possibile sit ens (§. 38.), patet cur ens dividatur in *potentiale*, & *actuale*.

Coroll. 2. Quod possibile est opponitur impossibili, vel existenti; hoc rursus *merum* vel *nudum*: illud *logicum* vocatur.

Coroll. 3. In possibili actuali plus concipio, quam in nudo possibili: igitur existens plus est, quam nudum possibile: inde recte dico illud existere, cuius essentia est plus, quam nude possibilis.

LII. Existentialia est modus, seu status essentiæ, quo ea est plus, quam nude possibilis. *Quid existentia?*

Schol. Idea existentiæ est omnino simplex, quæ ratio est, cur accurate definiri nequeat (§. 84. cor. 3. log.): sed nullum inde detrimentum capimus: res enim per se magis omnibus nota est, quam ut oratione lucidior fiat.

LIII. Enti actuali, sive existenti repugnare *Quid ens non existentiam manifestum est* (§. 11.). *Jam a se, & vero omnis repugnantia, seu impossibilitas est ab alio;* vel absoluta, vel hypothetica (§. 37.): ens actuale, cui absolute repugnat non existentia, *a se existere*; cui vero solum hypothetice repugnat non existentia, *ab alio existere* dicimus.

Coroll. 1. Ens a se numquam est, nec esse potest in statu nudæ possibilitatis, atque adeo ipsa ejus possilitas determinat existentiam, seu quod eodem recidit, ens a se, hoc ipso solum quod sit possibile, existit.

Coroll. 2. Contra vero ens ab alio potest esse in statu nudæ possibilitatis, & non fit existens nisi impleta quadam hypothesi.

Schol. 1. Cum dicimus ens *a se existere*, non lumen denotare, id *a se ipso effectum esse*, universim enim repugnat, ut aliquid se ipsum producat, quod suo loco demonstra-

bitur: sed hoc solum innuimus, ens illud non egere caussa alia, a qua efficiatur, habereque in sua essentia rationem sufficientem, cur existat, atque eam ob rem absolute repugnare, ut non sit actuale.

Schol. 2. Hypothesis illa, sub qua enti ab alio non existentia repugnat, est actio causæ producentis, sive ipsa productio; cum enim ens ab alio in statu nudæ possibilitatis esse possit, eget caussa, a qua existens efficiatur; quamprimum vero productus est, repugnat ut ipsum simul non existat.

Quæ
contro-
versia,
eiusque
status?

Res hæc occasionem præbuit philosophis duplarem in rebus creatis, quæ nempe entia ab alio sunt, existentiam distinguendi; *formalem* unam quæ sit ratio, sive, ut ajunt, forma, per quam ens redditur, & formaliter intelligitur existens, hæc eadem est cum ea, quam superius (§. 51.) definiti *caussalem* alteram, quæ sit ratio, ob quam ens existit: hæc in actione producentis, ipsius nimirum omnipotentiæ divinæ consistit. Porrò de existentia formalis quærunt, utrum ea ab essentia existente, seu actuali realiter distinguatur, id est, utrum forma, quæ essentiam actualem, denominat existentem, reapse, & nemine cogitante, ab eadem essentia diversa sit, an non? quæ quæstio denique huc reducitur: an hoc concretum *essentia existens*, physicum, vel metaphysicum sit (§. 71. log.)? hoc philosophorum dubium ita resolvo.

LIII. Si essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens, tunc existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur. Si essentia hoc ipso solum, quod producta sit, jam est existens, tunc datur jam existentia, tametsi præter essentiam nihil omnino sit productum; sed si datur jam existentia, tametsi præter essentiam nihil omnino productum sit; tum existentia ab essentia actuali

realiter non distinguitur; ergo si essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens, tunc existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.

LIV. *Essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens.* Essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam non est amplius nude possibilis: ergo essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est plus, quam nude possibilis: sed essentia plus quam nude possibilis est existens (§. 50. cor. 3.): ergo essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam est existens.

LV. *Existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.* Si essentia hoc ipso solum quod sit producta, jam est existens, tum existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur (§. 55.); sed essentia hoc ipso solum quod sit producta, jam est existens (§ præc.): ergo existentia ab essentia actuali realiter non distinguitur.

Coroll. Hoc igitur concretum essentia existens inter metaphysica referendum est.

Schol. I. Potest & indirecte id ipsum demonstrari. Si essentia a existeret per formam distinctam b, tum etiam forma distincta b existeret per novam formam distinctam c, atque hæc rursus per aliam d, & sic porro in infinitum, atque hoc vehementer absurdum est: nimirum ut quævis essentia ad hoc, ut existat, egeat formis numero infinitis reapse inter se distinctis, cui sano id persuadeatur? Neque vero de majoris propositionis veritate jure dubitari potest; omnes enim rationes, quæ ex adversariorum mente pugnant pro distinctione reali existentiæ ab essentia actuali, eodem prorsus modo pugnant pro distinctione reali secundæ existentiæ a prima, & tertiaræ a secunda, & ita porro, ut paulo post palam fieri: vel si id non evincunt, neque primum

efficere poterunt. Certe si forma *b* distincta ab essentia *a* non aget nova forma distincta, sed per se ipsam existere potest, cur non eodem plane modo ipsa essentia *a* per se ipsa absque forma distincta existere queat? Verum dum distinctionem realiter inter essentiam actualiem, & existentiam nego, nequaquam simul excludo eam, quæ dicitur rationis, quæque sola cogitatione nostra perficitur, id enim alioquin ex ipsa concreti metaphysici natura per se existentiam sequitur (§. 71. log.). Sed jam adversariorum momenta expendamus.

Dilectus
tum ob-
jecta.

Schol. 2. Ajunt i.) Si existentia ab essentia actuali realiter non distingueretur, tum entia creata existerent per suam essentiam; sed per suam essentiam existere soli Deo competit; ergo. Et id confirmatur ulterius; quia in hac hypothesi entia creata existerent necessario, & quidem non solum necessitate quadam consequente, sed omnino absoluta, & antecedente; nam ideo Deus necessitate absoluta existit, quia ejus existentia non distinguitur ab essentia: igitur etiam, si id in rebus creatis obtineat, ex existunt necessitate absoluta.

R. d. M. si &c. per suam essentiam formaliter, *c. M.* per suam essentiam etiam causaliter *n. M. d. m.* sed per suam essentiam tam formaliter, quam causaliter existere soli Deo competit, *c. m.* solum formaliter, *n. m. & con.* Entia creata non habent quidem formam existendi a se distinctam, elegant tamen actione causæ producentis, ut hanc formam acquirant, id est, ut existant pendent igitur a Deo in eo, ut producantur, atque adeo existentiam caussalem non habent sibi internam, neque per suam essentiam causaliter existunt; ubi tamen a Deo producta fuerint, obtinent formam existendi a sua essentia actuali non distinctam;

atque adeo per suas essentias *formaliter* existunt (conf. §. 52. sch. 2.). Contra vero Deus tam *caossaliter*, quam *formaliter* per suam essentiam existit, tum quia non existit per formam a sua essentia actuali distinctam, in quo cum quovis ente creato convenit; tum quia non eget actione causæ alterius, ut hanc formam acquirat, eam enim sibi ipsi dat, non quidem hoc sensu, quod se ipsum produxerit, sed quod non sit ab alio, verum a semetipso, quodque ipsa ejus possibilitas existentiam determinet (§. 52. cor. 1. & sch. 1.), in quo summum consistit Deum inter, ac entia creata discrimen (§. cit. coroll. 2.).

Ad confirmationem ulteriorem ajo, entia creata in hac hypothesi existere quidem necessario necessitate aliqua *consequente*, non item *antecedente*. Cum enim entia creata non acquirant formam existendi sibi internam, nisi ex hypothesi, quod sint producta, tota necessitas, qua existunt, consequitur hanc hypothesin contingentem, quod sint producta, nititurque in principio certitudinis, vi cuius quodlibet, dum est, necessario est. Atque hanc necessitatem ipsi quoque adversarii posita licet distincta existentia admittere coguntur.

In paritate ad extremum adducta falsum est quod in antecedente dicitur: ratio enim, cur Deus necessitate absoluta existat, nequam in eo ponitur, quod ejus existentia ab essentia actuali non reipsa distinguitur, sed in eo, quod existentia ipsius per solam possibilitatem determinetur, sive quod in ejus essentia possibili contineatur ratio sufficiens ipsius existentiæ: inde nimur sequitur, ut Deus eadem necessitate absoluta, qua independenter ab omni alio ente possibilis est, etiam existat.

2.) Si existentia ab essentia actuali realiter

non distingueretur, tunc essentia entis creati esset semper, & necessario sua existentia: sed hoc absurdum est; rursus enim invehernet necessitatem aliquam antecedentem: ergo.

R. d. M. si &c. tunc essentia *actualis* entis creati esset semper, & necessario sua existentia c. M. essentia *nude possibilis* n. M. sic a. m. n. con. Cum essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam sit existens, necesse omnino est, ut essentia *actualis* semper sit sua existentia, quia tamen essentia non efficitur producta, sive *actualis* nisi per actionem caussæ producentis, eadem essentia ante hanc actionem in statu nudæ possibilitatis considerata nondum est sua existentia: necessitas igitur, qua essentia necessario est sua existentia, consequitur hypothesin contingentem quod sit producta, & nullo pacto antecedens, seu absoluta est. Idem esto judicium de hac enuntiatione: *essentia entis creati est existens*; vera siquidem est, si essentia ponatur producta: falsa autem, si essentia *nude possibilis* intelligatur.

3.) Essentia *actualis* est indifferens ad accipiendam existentiam, sed quod est indifferens ad alterum, realiter ab eo distinguitur; ergo. Hanc porro indifferentiam physicam esse hac nituntur ratione ostendere: essentia *actualis* perficitur per existentiam, sicut quævis potentia passiva per suum actum, sed quævis potentia passiva est physice indifferens ad suum actum: ergo etiam essentia *actualis* est physice indifferens ad existentiam.

R. d. M. Essentia *actualis* est logice indifferens ad accipiendam existentiam, c. M. est physicè indifferens n. M. sic d. m. n. con. Duplicem statuunt philosophi indifferentiam unius ad alterum; *physicam*, quæ tum habetur, cum aliquid enti jam existenti acce-

dere potest, ut *doctrina homini, rotunditas marmori*, & hæc indifferentia, ut per se clarum est, arguit distinctionem realem; unde quia homo physice indifferens est ad doctrinam, marmor ad rotunditatem, homo a doctrina, marmor a rotunditate realiter distinguuntur. Deinde *logicam*, quæ tunc datur, quando unum sine alio, ad quod indifferens esse dicitur, cogitari quidem, non tamen reapse existere potest; sic *vis sentiendi in homine* absque *vir ratiocinandi* cogitari quidem, non tamen existere potest, & hæc indifferentia, ut rursus pater, arguit distinctionem duntaxat rationis. Jam vero essentia actualis nunquam potest esse *physice* indifferens ad existentiam: cum enim essentia hoc ipso solum, quod sit producta, jam existat, fieri absolute non potest, ut vel essentia actualis unquam sit absque existentia, vel hæc ipsi realiter accedat. Quum tamen essentia actualis sine existentia saltem per abstractionem cogitari possit, ea recte dicitur ad hanc *logice* indifferens esse, ac quod inde fluir, dari inter ipsas distinctionem rationis.

Ad prob. rursus d. M. Essentia actualis perficitur per existentiam, sicut quævis potentia passiva *metaphysica* per suum actum *metaphysicum*, c. M. sicut quævis potentia passiva *physica* per suum actum *physicum*, n. M. sic d. M. n. con. Per *actum* hic intelligunt omne id, quod alterum quacunque ratione perficit; illud vero, quod ita perficitur, ajunt esse in *potentia passiva* ad *actum*. Jam vero fieri potest, ut *subjectum* aliquod præsistens per *actum* supervenientem, adeoque realiter a se distinctum perficiatur, ac *physice* determinetur ad certum modum existendi, tumque *actus* hic erit *physicus*, & *subjectum* perficiendum in *potentia passiva physica* ad hunc *actus* *phy-*

sicum realiter a se distinctum sic se habet homo ad eruditionem, marmor ad rotunditatem. Potest deinde etiam fieri, ut aliquod subjectum nostra solum cogitatione ab alio perficiatur, idque tum contingit, cum actus velut forma interna subjectum, quod quidem sine illa concipi, non tamen existere potest, suo modo perficit, ac novam ei denominationem tribuit; talis actus dici solet *metaphysicus*, & subjectum perficiendum est in potentia passiva *metaphysica* ad hunc actum metaphysicum a se non quidem realiter, sed tamen cogitatione nostra distinctum: ita se habet sphæra ad rotunditatem. Si recolamus ea, quæ in logica de concretis dicta sunt (§. 71.), facile patebit in omni concreto physico formam esse id genus actum physicum, in metaphysico vero metaphysicum. Cum igitur, & ex conclusionis probatione patet, essentia existens sit concretum metaphysicum, consequens est, ut existentia sit actus metaphysicus ab essentia actuali nostra duntaxat ratione distinctus.

4.) Illa quibus conveniunt prædicata contradictoria, realiter inter se distinguuntur, seu essentiæ, & existentiæ conveniunt prædicata contradictoria: ergo *m. p.* essentia est æterna, necessaria, & immutabilis, existentia vero non est æterna, nec necessaria, nec immutabilis; sed hæc sunt prædicata contradictoria: ergo essentiæ, & existentiæ conveniunt prædicata contradictoria.

R. *M. d. m.* sed essentiæ nude possibili, & existentiæ conveniunt prædicata contradictoria *c. m.* essentiæ actuali, & existentiæ, *n. m. d. con.* ergo essentia nude possibilis, & existentia realiter distinguuntur, *c. con.* essentia actualis, & existentia, *n. con.* Idem serviet ad probationem responsum. Nempe si essentia nude possibilis consideretur, ea omnino necessaria, æterna, ac immutabilis

est, ut alio loco ex proposito ostendam; at vero si essentia jam existens, sive actualis spectetur, ea nequaquam necessaria, aeterna, aut immutabilis est; quævis enim essentia, entis nimirum creati, prorsus contingenter existit. Essentiæ igitur, & existentiæ in eodem statu acceptæ prædicata contradictionia haud competit, sed quidquid de una dicitur, id de altera quoque affirmari potest; quare nulla omnino ratio est, ut putentur realiter distinctæ. Quo tamen sensu asseram, essentiam nude possibilem ab existentia realiter distingui, statim patebit, quodsi enim sic arguas: essentia nude possibilis distinguitur ab existentia; sed essentia nude possibilis est eadem cum essentia actuali: igitur etiam essentia actualis distinguitur ab existentia.

R. d. M. Essentia nude possibilis distinguitur *quoad statum* ab existentia, c. M. *quoad rem*. n. M. d. m. sed essentia nude possibilis est eadem *quoad rem* cum essentia actuali, c. m. est eadem *quoad statum* n. m. & con. Idem prorsus ens, quod antea fuit in statu nudæ possibilitatis, deinde post sui productionem in statu actuali existit, unde eadem *quoad rem* essentia nunc actualis est, quæ prius fuit nude possibilis; sed status ejusdem essentiæ jam non est idem, status namque actualitatis reapse differt a statu nudæ possibilitatis: quemadmodum architectus adificium constituit idem in re cum illo, quod antea mente conceperat, cuius tamen status postea multum diversus est ab eo, quem ante in idea solum ipsius habuit. Quare tametsi essentia nude possibilis diversa sit ab existentia, non est tamen consequens, ut etiam essentia actualis ab eadem existentia realiter differat; cum enim ea diversitas ex diversitate status oriatur, hac sublata & illam tolli necesse est. Ex his

porro clarius intelligi potest, quomodo, quod supra dictum est, in essentiam nude possibilem, & existentiam prædicata contradicторia convenire queant, ea enim prædicata non ad rem ipsam, sed ad statum duntaxat pertinent; status quippe possibilitatis est æternus, necessarius, & immutabilis, quia possibilitas rerum numquam incepit, numquam desinet: status vero actualitatis non est æternus, nec necessarius, nec immutabilis; omnis enim res ut existens, præterens necessarium, sive Deum, & initium habuit, & finem existendi habere potest.

C A P U T III.

De Attributis, Modis, Relatione, Nexus, et Statu Entium.

Quid at- LVI. Affectiones in ente præter essentiam tributa, insunt (§. 49.): igitur ratione sufficiente ne- & modi: quamquam destituuntur (§. 21.). Jam vero hæc ratio sufficiens vel in ipsa essentia entis con- tinetur, vel non; si illud: affectiones ex compellantur *attributa*; si hoc: tum rursus ratio sufficiens vel est interna, vel externa (§. 19.); inde in hoc casu oriuntur modi pro- prii: in priore modi *analogici*: ita hominis attributum est *capacitas eruditionis conse- quendæ*; modus proprius *eruditio obtenta*; *analogicus volitio libera*.

Coroll. 1. Omnia igitur, quæ in ente insunt, vel sunt *essentialia*, vel *attributa*, vel modi utriusque generis.

Coroll. 2. Posita essentia ponuntur quoque *attributa* (§. 22.): igitur *attributa* inexupe- rabili *nexus cum essentia copulantur*.

Coroll. 3. Modi tam proprii, quam *analogici* salva entis essentia abesse possunt, hosque, uti & *attributa*, esse determinationes entis patet ex §. 49. cor-

Schol. Analogia modorum, seu modos analogicos eas appellamus affectiones entium, quæ neque cum attributis, neque cum modis in omnibus convenient, nec vero etiam discrepant. Nimis ab attributis differunt, quod posita essentia non necessario ponantur, sed sint ad instar modorum contingentes; a modis autem discernuntur, quod non agnoscant rationem sufficientem externam, sed ipsi enti, in quo insunt, internam, quam rem cum attributis communem habet: id genus affectiones sunt liberæ hominum voluntiones, & nolitiones.

LVII. *Possibilitas modorum ad entis attributa referenda est.* Ratio sufficiens, quæ utique aliqua esse debet, cur modi in ente inesse possint, est vel in modis ipsis, vel in attributis vel in essentialibus, cum præterea nihil sit in ente (§. præc. cor. 1.); sed in modis non est, secus existentia modorum prior esset eorum possibilitas: ergo ea vel in attributis, vel in essentia continetur; sed utrum horum sit, semper ultimo ad essentiam redditur: ratio igitur sufficiens possibilitatis modorum latet in essentia; atqui id, cuius ratio sufficiens in essentia continetur, est attributum (§. præc.): ergo possibilitas modorum ad entis attributa referenda est.

Schol. Sic homo, ut eruditus: lapis, ut calidus fiat, per essentiam suam capax est. Atque inde patet, quid sit *dispositio naturalis*, quam entibus tribuimus; cum nimirum ens per essentiam suam aptum est ad aliquem modum recipiendum, dicimus illud ad eum modum esse *naturaliter dispositum*. Porro me non monente patet, modum, qui essentiæ entis repugnat, in eodem inesse nullo pacto posse, ac proinde nullum ens per suam essentiam aptum esse, ut admittat in se modum, qui vel cum essentia, vel cum attributis pugnet.

Quid determinatio interna & externa, seu relatio?

Quæ relationis partes?

Quid entium nexus,

& quadruplex?

LVIII. Determinationes, quæ enti conueniunt, eidem vel in se, & absolute spectato, vel in comparatione duntaxat ad alia competunt: illæ sunt *internæ*, hæc *externæ*: & nominatim *relationes* dicuntur; ut esse patrem, vel filium, ternarium esse, subduplum senarii, majorem binario, minorem quaternario. **Coroll.** Essentialia igitur attributa, & modis proprii, quam analogici sunt determinationes entis *internæ* (§. 56. cot. 15.)

LIX. Entia, quæ inter se comparantur, *relata*, idque, quod refertur ad alterum, *subjectum relationis*: hoc vero *terminus relationis*: illud denique, quod efficit, ut unum ad alterum referri possit, *fundamentum relationis*, sive *ratio fundandi* appellatur. Quodsi in utroque ratio insit, ob quam ad sese mutuo referri queant, *correlata* audiunt.

Scol. Correlata sunt exempli gratia *creator* & *creatura*. Si primum *creator* ut *subjectum* referatur ad *creataram* velut *terminum*, *fundamentum* erit largitio existentiæ per actum creationis; propterea siquidem Deus dicitur *creator*, quia entibus per creationem existentiam contulit. Si deinde *creatura* referatur ad *creatorem*, *fundamentum* præbebit adeptio existentiæ per creationem, ideo namque *res* dicuntur *creatarae*, quia a Deo per creationem existentiam consecutæ sunt. Porro diversa sunt relationum genera, de quibus ordine deinceps agam.

LX. *Connexa* sunt, quorum uni competit determinatio sine altero non possibilis, illudque, quod hanc determinationem habet, ab alio dependere dicitur: ita *creator*, & *creatura connexa* sunt, hæcque ab illo dependet.

Coroll. Cum determinationes entium vel *internæ*, vel *externæ* sint (§. 58.), erit quoque *nexus* entium vel *internus*, vel *externus*: quando hic, quando ille per se patet.

LXI. *Status* entis est *collectio omnium de-*

terminationum eidem quocumque modo convenientium, estque rursus ob rationem paulo ante redditam vel *internus*, vel *externus*.

Quid &
quotu-
plex sta-
tus?

Coroll. Modi tam proprii, quam analogici ad statum *internum*: relationes vero ad statum entis *externum* pertinent (conf. §. 58.)

C A P U T IV.

De Diversis Relationum Generibus.

LXII. *Mutuo sibi substitui possunt ea, quæ cum uno in locum alterius posito omnia manent sicut ante, quæ sibi mutuo substitui possunt, eadem: quæ non, diversa vocantur. Sic globus ferreus duarum librarum in locum globi plumbei duarum pariter librarum, ratione ponderis habita, substitui potest.*

Schol. Quod si igitur, ait Boehmius, de uno tot formaveris propositiones, quot praedicta de eo tamquam subjecto enunciabilia sunt: tum quatenus alterum cum priori idem est, eatenus alterum potest in his propositionibus tanquam subjectum loco prioris subjecti substitui, salva veritate, ut nempe, quæ affirmativaे fuerunt, maneant affirmativaे, quæ negativaē, maneant negativaē, adeoque ut nihil ad sit, ex quo videoas factam esse mutationem; quatenus vero alterum a priori diversum est, eatenus in una, vel aliquot propositionibus fieri nequit hæc substitutio salva veritate.

LXIII. Eadem genere sunt, quæ quoad determinationes genericas; eadem specie, quæ quoad determinationes specificas: eadem numero; quæ quoad omnes determinationes hoc præcise individuum constituentes, seu quoad ipsum hoc esse sibi substitui possunt. Inde facile intelligitur, quæ genere, specie, aut numero diversa sint.

Schol. Ita eadem sunt genere, homo, & bel-

Quæ ea-
dem, &
diversa?

Ont. s. I.
c. 6. §.
210. sch.

Quæ ea-
dem ge-
nere, spe-
cie, ac
numero?

luna; specie *Socrates & Plato*; numero *Plato* idem secum ipso; omne nempe individuum idem numero est secum ipso, nec potest esse aliud, quod ipsum hoc esse commune habeat. Ab opposito diversa sunt; & quidem genere *homo & lapis*, specie *Alexander*, ac ejus *Bucephalus*; numero omnia individua ejusdem speciei, ut *Socrates*, *Plato*, *Aristoteles*, *Cicero*. Sed tamen in his ipsis individuis semper fere sunt aliquæ determinationes individuales in uno, quæ non sunt in altero, quo efficitur, ut non solo in numero differant; solo quippe numero diversa dicuntur, in quibus præter externam fortasse loci, aut temporis relationem, nullum omnino aliud discrimen assignari potest, quam quod numerum faciant, sintque adeo plura, non unum; sic solo numero differrent plures globi eburnei perfectissime similes, & æquales, nullaque alia re differentes, quam quod plures sint, non unus. Verum acris inter philosophos agitatur controversia, utrum plura solo numero diversa existere possint: de qua, quid sentiendum sit, sub hujus capitinis finem dispiciemus; necesse enim est, ut antea de æqualitate, & similitudine entium pauca dicam.

Quid *identitas*, in abstracto considerata *identitas*; forma autem concreti diversum *distinctio* nuncupari solet: est igitur *identitas*, aut *distinctio* ea entium affectio, qua fit ut eadem, vel diversa sint.

Coroll. Ergo *identitas* pariter, uti & *distinctio* est vel genericæ, vel specifica, vel numerica.

LXV. Rursus tam *identitas*, quam *distinctio* vel *realis* est, vel *rationis seu formalis*. Inter ea, quæ nemine cogitante actu, & in se species? diversa sunt, *distinctio realis* ut inter *Platonem*, & *Socratem*; inter ea, quæ in se unum

idemque sunt, sub diversis tamen conceptibus cogitari possunt, *identitas realis*, & *distinctio formalis*; ut *inter vim sentiendi*, & *ratio-cinandi in homine*; inter ea denique, quæ ita sunt eadem, ut neque per diversam ideam repræsentari queant, *identitas rationis intercedit*; ut *inter hominem*, & *animal ratione præditum*.

LXVI. Porro, quæ realiter distincta sunt, eorum unumquodvis sine altero existere potest, vel non; si illud: *distinctio realis nominativum* dicitur *essentialis*, *qualis est inter animam, & corpus*, sic hoc: *non essentialis*, quæ iterum subdividi debet; vel enim unum sine altero existere non potest propterea, quod sit alterius pars, sive constitutivum, vel quod sit illius modus: in priori casu *distinctio realis inadæquata* oritur, *qualis est inter brachium, & corpus humanum*; in posteriori *accidentalis*, seu *modalis*, *qua est inter marmor, & ejus rotunditatem*.

Schol. Cum *distinctio inadæquata* necessario involvat identitatem pariter inadæquatam, ut per se patet, necesse est, ut opposita ratione *identitas quoque in adæquatam, & inadæquatam* distribuatur; sic nempe inter totum & omnes partes simul sumtas datur *identitas adæquata*, inter totum vero, & quamvis ejus partem inadæquata. Alia præterea identitatis distributio hic negligi non debet; dicimus vulgo *ens perseverare idem*, tametsi aliis, & aliis rebus succendentibus præter formam externam nihil amplius de eo supersit, modo ea successio continenter fiat, & nostris sensibus subducatur; sic idem putamus plantæ, aut animalis *corpus* *hodie esse*, quod annos ante aliquot fuit; sic quoque eundem *hodie*, qui olim, *Danubium præter Viennam defluere* dicimus; hæc tamen proprie vera esse non possunt, constatque illud Heracliti pronunciatum; ne-

minem his posse in eundem fluvium descendere. Identitas isthæc moralis appellari poterit, pendet enim a morali hominum æstimatione; quæ vero eidem opponitur, physica, seu ut aliquibus placet, metaphysica dicenda est, habeturque in ente; cuius essentialia invariata persistunt, quomodo anima nostra in perpetuum eadem perseverabit.

Quæ disparata,
& opposita?

LXVII. Diversa vel sunt *disparata*, cum positio unius non involvit negationem alterius; *ut pietas, & eruditio*: vel *opposita*, cum posito uno alterum tollitur: hæc rursus duplicitis sunt generis: nonnumquam positio unius involvit negationem alterius ita, ut vicissim negatio alterius positionem includat, tumque dicuntur *contradictoria*, ut *possibile, & impossibile, lux & tenebrae*: alias unius quidem positio postulat negationem alterius, non tamen vicissim negatio unius positionem alterius, *ut amor, & odium*; & *contraria* appellantur.

Coroll. 1. Disparata possunt simul consistere in eodem subjecto, non item opposita, quæ ad idem objectum tendunt.

Coroll. 2. Utrumque contradictorium nequit ab eodem subjecto abesse, potest autem utrumque contrarium. (*conf. §. 156. schol. ll. 3. & 4. log.*)

Schol. Cum privatio sit mera absentia realitatis in subjecto capaci (*§. 44.*), ea involvit negationem realitatis, atque ideo etiam negatio privationis realitatem includit. Inde vero consequens est, ut privatio, & realitas contradictione opponantur, *ut vivus, & cæcitas*: quare *privative* opposita, sic enim nonnulli loquuntur, novam oppositionis speciem non constituunt. Addunt hoc loco etiam oppositionem *relativam*, quæ in relatis, vel correlatis, quorum unum nequit esse alterum, conspicua est, *ut inter patrem & filium, quæ opinio si obtineat, non*

erit ratio, cur non omnia disparata inter opposita referantur.

LXVIII. Quantitas, seu magnitudo est multorum (§. 47.), quæ sunt eadem (§. 62.), collectio; hanc mensurare non est aliud, quam eorum unum assumere, & quoties in reliquis contineatur, inquirere, proptereaque unum illud mensura appellatur.

Quid
quantitas!

Coroll. 1. Multa simul collecti sub ea duntaxat ratione, sub qua sunt eadem, quantitatem constituunt.

Coroll. 2. Quantitas sine assunta unitate intelligi non potest.

Schol. Non est hic sermo de magnitudine spati, quod corpus quodpiam occupat, quæque magnitudo extensionis, seu volumen propriæ vocatur; sed de magnitudine corporis, sive massa, quæ aliud non est, ac materiæ sub certo volumine contentæ multitudo, unde facile intelligitur, quid magnum, aut parvum sit.

LXIX. Quantitas vel finita est, vel infinita (§. 49. cor. 2.); in illa cum habet limites, sciri potest quoties id, quod pro mensura accipitur, contineatur: in hac vero ob absentiam limitum istud definiri nequit; quare illa mensurabilis est; hæc non, ideoque immensa dici debet.

Quando
mensura-
bilis?

LXX. Quantitas, seu magnitudo est determinatio entis interna. Primum enim, quia enti revera convenit, determinatio est (§. 59.); deinde cum sit multitudo plurium eorumdem,

Quantitas est
determi-
natio in-
terna.

enti, quamprimum illud ponitur, ante omnem cum aliis comparationem jam convenit: igitur hæc determinatio interna quoque est (§. 58.): ergo quantitas est determinatio entis interna.

Coroll. Quantitas igitur est determinatio entis interna, quæ dari quidem, sed non intelligi sine alio assumto potest, ut magnitudo diametri in sphera: hæc est definitio quantitatis a Wolfio allata.

Quid qualitas? LXXI. *Qualitas* est determinatio entis internæ, quæ sine alio assumto & dari, & intelligi potest, *ut doctrina in homine, rotunditas in marmore.*

Coroll. 1. Determinationes entis internæ (§ 58.) vel qualitates sunt, vel quantitates.

Coroll. 2. Cum essentialia, attributa, & modi sint internæ entis determinationes (§ cit. cor.), & sine alio assumto intelligi possint, ut per se notum est, ea ad qualitates referri debent.

Quid gradus? LXXII. Etsi qualitas non est quantitas, potest tamen magnitudo quæpiam in ea cogitari, atque adeo potest etiam eidem cum ratione quantitas tribui. Quantitas qualitatis *gradus* vocatur; cum porro quivis gradus ex aliis minoribus coalescere concipiatur, ille ultra quem nullus amplius in eadem qualitate cogitari potest, *summus*, vel *ultimus* dicitur, & limitem (§. 40.) qualitatis constituit, ac propterea in qualitate infinita non existit.

Coroll. Igitur enim gradus dari quidem in qualitate, sed non intelligi sine alio assumto potest (§. 70. cor.).

Schol. Nimirum sicut pes Viennensis sine aliquo alio assumto intelligi nequit: ita neque gradum caloris in corpore quopiam existentem explicare possum, nisi assumto aliquo alio caloris gradu jam noto. Ceterum gradus vulgo dicitur *quantitas intensio[n]is*, ut distinguatur a *quantitate extensi[on]is*, cuius limen figuram constituit; sed de hoc infra.

Quid æqualitas, & inæqualitas? LXXIII. Entia, quæ ratione quantitatis eadem sunt, *æqualia*, *ut duo globi ejusdem diametri*; quæ vero ea sub ratione diversa sunt, *inæqualia* vocantur: *ut duo globi diversarum diametrorum*. *Æqualitas* proinde abstracte cogitata recte dicitur identitas quantitatum, uti & *inæqualitas* diversitas quantitatuum.

LXXIV. Entia, quæ eadem sunt ratione determinationum, quæ non sunt quantitates, *similia* audiunt: quia porro determinationes non quantitates vel internæ sunt, vel externæ (§. 56. 70. 71.), etiam similia sunt vel interne, vel externe talia. *Similitudo interna* est identitas qualitatum, ut *rotunditas* in *duobus globis*; *similitudo externa* vero identitas relationum, *qualis datur in duobus fratribus ad communem parentem relatis*. Facile patet ab opposito *dissimilitudinem* constitui in diversitate determinationum non quantitatum, eamque pariter aut *internam*, aut *externam* esse.

Coroll. 1. Qualitates entis sunt *essentialia*, & *quæ ex his profluunt*, attributa, ac modi (§. 71. cor. 2.): igitur similitudo interna rursus duplex est, una ratione *essentialium*, & *attributorum*, quæ *essentialis*: altera ratione *modorum*, quæ *accidentalis* appellatur.

Coroll. 2. Ex adhuc dictis infertur quoque, ea, quæ similia sunt, posse esse inæqualia, ut duo *globi diversarum diametrorum*: & quæ æqualia sunt, posse esse dissimilia, ut *quadratum æquale triangulo*.

LXXV. Quæ sub aliqua ratione eadem sunt cum uno tertio, sunt quoque sub ea ratione eadem inter se. Sit *a* sub aliqua ratione idem cum *c*: poterit ergo sub ea ratione *a* substitui pro *c*. (§. 62.). Sit jam porro *b* quoque sub ea ratione idem cum *c*: poterit igitur & *b* sub ea ratione substitui pro *c*: ex his vero manifeste sequitur, etiam *b* sub ea ratione posse substitui pro *a*, aut vicissim *a* pro *b*: ergo *a*, & *b* sub ea ratione sunt eadem.

Coroll. 1. Sit hæc ratio quantitas, sequitur ergo; quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se, & æqualia æqualibus sunt sibi ipsis æqualia.

Quid si
militudo
& dissimilitudo,

Eadem
cum uno
tertio
sunt ea-
dem in-
ter se.

Coroll. 2. Sit hæc ratio qualitas, vel relatio; sequitur: quæ sunt similia uni tertio, etiam sunt similia inter se, & similia similibus sunt sibi ipsis similia.

Coroll. 3. Patet igitur veritas axiomatum, quæ pro construendis ratiocinis sine probatione sumsimus (§. 126. log.).

Quid principium indiscernibilium?

Qq. a-
cad. l. 4.
c. 26.

Recueil.
de diver.
piec. t. 2.
Écrit. 4.
& 5.

Monad.
gen. s. 3.
c. 2. §. 4.
sch.

Schol. Ordo jam postulat, ut fidem datam libere, quidque de ea, quam supra (§. 63. sch.) attigi, controversia sentiendum sit, paucis doceam. Non posse duo perfecte similia, soloque numero diversa existere sententia est, quæ jam olim teste Tullio multis ex Stoicorum familia placuit, sic enim ad Lucullum ait: *omnia dicis sui generis esse nihil esse idem, quod sit aliud. Stoi-cum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. Hæc refelli possunt. Sed pugnare nolo.* Opinationem hanc prope jam emortuam suscitavit Leibnitius, confidenterque pronunciavit: *fieri non posse, ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo existant.* Enunciatum hoc principium identitas indiscernibilium vocavit, illudque legitima prorsus consecutione ex principio rationis sufficientis profluere opinatus est. Leibnitium mira consensione sequuntur Wolfius, Cantius, Bulfingerus, Hanschius, Baumeisterus, Boehmius, Winklerus, Baumgartenus, aliquique, qui illius dogmata adorant. Stant ex adverso, veritatemque principii negant philosophorum plurimi; nec minus illustres, Newtonus, Clarkius, Boscovichius, Scherferus, Mako, aliquique innumeri, quibus accenseri debet ex parte Dariesius, qui enunciationem eam ita restringit, ut omnino putet plura entia quoad determinationes internas perfecte similia non modo posse, verum & actu existere, non tamen posse ea-

dem in determinationibus quoque externis similiter convenire. Hi videntur veritatem præ ceteris assecuti esse.

LXXVI. *Duo individua perfecte similia, ac solo numero diversa possunt existere.* Princi-
Quæ nec interne, nec externe repugnant, illa pium i-
certissime existere possunt: sed duo indivi- stud su-
dua perfecte similia, ac solo numero diversa stineri-
nec interne, nec externe repugnant: non nequit.
primum; quia duo talia individua, seu singu-
latim, seu simul sumantur, contradictionem
non involvunt, ut optime ipse perspexit Leib-
nitius: quare aperte fatetur ea in re non es-
se impossibilitatem absolutam: non alterum:
tum quia internam possibilitatem comitatur
externa (§. 56. cor. 2. & 3.); tum quia eorum
procreatio nullo pacto pugnat cum perfectio-
nibus divinis, quod clarius ex refutatione ra-
tionum ab adversariis allatarum patebit: er-
go duo individua perfecte similia, ac solo nu-
mero diversa existere possunt.

Schol. Examinemus jam adversæ partis mo- Refel-
menta. Argumenta Leibnitii huc fere re- luntur
ducuntur. Productionem duorum perfecte momen-
similium repugnare sapientiæ divinæ; nul- ta adver-
la enim ratio sufficiens foret, cur unum sas partis.
potius sit in loco *a*, quam *b*, & alterum
in loco *b* potius, quam *a*: ea quippe ratio
non esset in ipsis, cum sint perfecte simi-
lia: neque in locis, atque ideo Deum sine
ratione sufficiente unum huc potius, quam
illuc collocaturum. Idem multis urget Boeh- L. c. 99.
mius. Deinde ad experientiam provocat, 21. 25.
atque numquam omnino ex omnibus, quæ Cosmo.
sub sensus cadunt, corporibus, ne duo qui- trans. c.
dem folia in amplissima silva, aut duas a-
quæ guttulas microscopio inspectas, perfe-
cte similia deprehendi.

Verum in promptu est responsum. Imprimis L. cit.
generatim ratio sufficiens, cur ens sit in §. 23.
hoc loco, nec in ente ipso, nec in loco es-

se potest, sed in collocante quæri debet, a summa igitur Dei libertate, plenoque in res omnes dominio penderet, utrum ex duobus perfecte similibus, si qua procrearentur, hoc potius, quam alio loco consistere oporteat. Universim Deum rationes sufficientes in rebus ipsis fundatas nec sequi, nec salva libertate sequi posse alias opportunius demonstrabitur. Id tamen hic præterire nequeo; ex mente Leibnitii non est impossibilitas absoluta in duobus perfecte similibus, quod superius innui; similiter Boehmius asserit, abstrahendo a principio rationis sufficientis in se possibile esse, *ut duo eadem prorsus existant*: inde vero prona hæc fluit consecutio: ergo in se possibilia sunt duo vel plura individua perfecte similia. Cum igitur Deus aliquid procreat, unum simile ex pluribus adæquate similibus eligit; quæ jam vero hujus rei ratio sufficiens? Novi quidem istud Leibnitii menti quam maxime adversari, verum non, quod ille sentit, sed quod ex ipsius sensis profluit, hic attuli. Quod deinde ad experientiam attinet, ea nullam habet vim, cum de possibilitate agitur; neque enim omnia, quæ possibilia sunt, existunt. Ostendam tamen in cosmologia, tanta corporum sensibilium diversitate nequaquam evinci dissimilitudinem quoque elementorum, ex quibus eadem coalescunt.

Ontolog. 2). Baumeisterus sic arguit: *si darentur duo individua, quorum neutrum ab altero ulla ratione differret, tunc illa duo individua essent unum, idemque, adeoque unum, idemque bis existere fingeretur. Cum vero unum, idemque bis existere contra sensum communem sit, intelligitur fieri non posse, ut duo dentur individua, quæ in omnibus ita sint similia, ut ab altero alterum discerni nequeat.*

At vero consecutionem hanc ipse negat Leib- L. cit.
nitius: fateor, quodsi duæ res perfecte in- §. 29.
discernibiles existerent, illas fore duas: ve-
rum hypothesis falsa est, & contraria ma-
gno principio rationis (sufficientis). Nimi-
rum si duo existerent perfecte similia, ea
quidem essent unius, ejusdemque speciei,
non autem unum numero, quæ duo a Bau-
meistero confunduntur; nam qui ponit duo
individua perfecte similia, non ponit in
unoquoque determinationes quoad entitatem
suam easdem, sed similes, & quoad spe-
ciem easdem. Gerte sicut in rebus inadæ-
quate similibus non insunt aliquæ determi-
nationes numero eadem; nam secus & hæ-
bis existerent; ita neque in rebus adæqua-
te similibus forent determinationes numero
eadem. Baumeisterus igitur & a mente
Leibnitii aberravit, & in paralogismum
incidit.

I.) Audianus quoque Winklerum: ex perfe- Ontolog.
ctæ similitudinis notione intellegimus, duo §. 115.
individua, si omnino similia sint, neque
possibilitate, neque existentia inter se dif-
ferre posse. Ita patet duorum perfecte simi-
lium, si existere ea velimus, non nisi unam
eamdemque esse existentiam. Huic
argumento acriter se opponit Boehmius: Cosmol.
conceditur ipsam illam idéam, quæ uni re- transcr.
spondet, respondere etiam alteri: negatur
vero, unum esse ipsum alterum. Nempe ex I.
eo, quod nos nec in possibiliitate, nec in
existentia duorum perfecte similium ullum
discrimen deprehendamus, atque adeo una
idea ambo repræsentare possimus, non se-
quitur ea in se esse unum, sicut tametsi
unam tantum habeamus ideam vis sentien-
di, ac ratiocinandi, quæ in unoquoque inest
homine, reapse tamen, & in se tot exi-
stunt distinctæ vires, quot sunt homines.
Et ratio ulterior est: quia licet non in

duobus perfecte similibus nullum discriminem agnoscamus, erit tamen in se semper ali- quod, idque ab infinita saltem intelligentia perspici poterit, ipsum nimirum *hoc esse*, quod in uno inest, & non in altero, ac per quod unum non est alterum.

C A P U T V.

De Ordine, Veritate, ac Perfectione.

Quid
Ordo, &
confusio?

LXXVII. Unum, quod ex pluribus secun- dum eamdem rationem juxta se collocatis vel se consequentibus coalescit, *ordinatum*; ejus autem abstractum *ordo*, qui proinde aliud non est, quam similitudo quædam elucens in mo- do, quo plura juxta se collocantur, aut se invicem consequuntur; plura denique illa *ordinabilia* dicuntur. In casu opposito habetis unum *inordinatum*, seu *confusum*, & *inordi- natio*, vel *confusio* consistens in dissimilitu- dine rationis; qua plura conjunguntur: ita *in bibliotheca* adest *ordo*, cum *libri* ratione ar- gumenti, *linguae*, *ætatis*, *formæve* externæ disponuntur; *confusio* vero, si promiscuo, prout in manus venerint, reponantur.

Coroll. Identitas aut diversitas ordinis non pendet ab identitate, aut diversitate eo- rum, quæ conjunguntur; sed ab identitate, aut diversitate rationis, secundum quam con- sociantur.

Quid
regula
ordinis.

LXXVIII. Cum uni ex pluribus coalescen- ti ordo tribuitur, id eidem præter essentiam tribui manifestum est: igitur ratio sufficiens quædam adsit, oportet (§. 21.). *Propositio* enuncians, quid huic rationi convenienter fre- ri debeat, *regula ordinis* appellatur: *sic iden- titas argumenti est ratio sufficiens ordinis in libris dispositis*, & *hæc propositio: libri e- jusdem argumenti simul componantur, est re- gula ordinis*.

LXXIX. Regula ordinis vel in plures res solvi potest, vel non; illa *simplex*, hæc *composita* audit. Inde vero sequitur ordinem quoque aut *simplicem* esse, aut *compositum*: ita hæc propositio: libri ejusdem argumenti, linguae, & ætatis simul collocentur, est regula *composita*, quæ si observetur, oritur ordo *compositus*.

LXXX. *Defectus* est determinatio regulæ contraria, isque *verus*, si possit; *apparens*, si non possit vitari. Cum porro diversi ordinis diversas sequantur regulas, fieri potest, ut, quod in uno defectum arguit, in altero sit regulæ consentaneum; sic cum sola argumenti ratio habetur, non est defectus, si variarum linguarum libri simul consocientur: esset vero, si regula & identitatem argumenti, & identitatem linguarum præcipere. Coroll. Potest igitur etiam relate ad easdem res juxta se positas sub alio respectu ordo, sub alio confusio adesse.

LXXXI. *Ordo universalis*, seu *metaphysicus* is est, qui in omnibus hujus universi entibus elucet.

Schol. Extare re ipsa ordinem quempiam universalē in cosmologia patebit, cum generalē etiam mundanorum nexum pluribus persequemur; est enim, Tullio teste, ad mirabilis quedam continuatio, seriesque rerum, ut aliæ ex aliis nexæ, & omnes inter se aptæ, colligatæque videantur.

LXXXII. Quatenus ens omnia habet quæ requiruntur, ut sit hoc duntaxat ens, & nullum aliud, eatenus metaphysice veram dicitur: est igitur *veritas metaphysica* convenientia entis cum iis simul sumtis, quæ ipsum constituunt.

Schol. Veritatem generatim convenientiam quempiam cum re aliqua velut norma involvere ex eo colligo, quod hocce prædicatum tam veritati logicæ, quam modali

& quatuorplex?

Quid & quotuplex defectus?

Quid ordinis metaphysicus?

De nat. Deor. l. I. c. 4.

Quid veritas metaphysica?

Definitio vindicatur?

(§. & sch. log.) competit. Porro normam hanc non esse extra ipsum ens quærendam vel inde patet, quod, cum metaphysice ente in se spectato ratiocinetur, veritas metaphysica eidem sub hac ratione tribuenda sit. Recte igitur veritas metaphysica in convenientia entis cum iis sumptis, quæ ipsum constituunt, reponitur.

*Omne
ens ve-
rum est.*

LXXXIII. *Omne ens metaphysice verum est.* Omne ens est hoc ens, & non aliud, atque adeo habet omnia, quæ requiruntur, ut sit hoc, & non aliud: ergo omne ens convenienter cum iis simul sumptis, quæ ipsum constituunt; sed hoc est esse metaphysice verum (§. præc.); ergo omne ens metaphysice verum est.

Schol. Sed numquid datur falsum aurum? nequaquam; id enim, quod falsum dicas, vel est aurum, vel non; si primum: igitur habet omnia, quæ ad aurum requiruntur, atque adeo verum est; si alterum, igitur non est falsum aurum, sed aliud aliquod metallum; vel mixtum suo tamen in genere verum.

*Quid
conse-
ntire et dis-
sentire?*

LXXXIV. Varia, quæ in ente ad idem obtinendum tendunt, *consentire*; quæ autem ad idem non obtinendum tendunt, *dissentire* dicuntur. Duntaxat *non consentire* aut *non dissentire* est non tendere ad idem obtinendum; neque enim necesse est, ut illud, quod non tendit ad aliquid obtinendum, tendat ad id non obtinendum.

*Quid per-
fectio, &
imperfe-
ctio?*

LXXXV. *Perfectio* est consensus variorum in ente; *imperfectio* vero dissensus variorum in ente; *sic horologium dicimus perfectum,* cum varia, quæ in ipso insunt, tendunt ad horas accurate indicandas.

*Quid im-
perfectio
remoti-
va?* *Schol.* Non consensus non est dissensus (§. 84.): Igitur vere, & proprie imperfectio dici nequit; interea tamen quia per hoc, quod aliquid non consentiat, perfectio excluditur, talis non consensus aliquam saltem imperfe-

ctionem involvere videtur: quare optime duce Boehmio vocatur *imperfectio remotiva*, & discriminis gratia ea, quæ superius definita est, *imperfectio contraria*. Porro cum varia consentire volumus, loquimur generatim de omnibus seu realiter, seu solum ratione nostra distinctis, quæ in ente insunt, ut definitio maxime universalis evadat.

LXXXVI. *Quidquid in ente consentit, est Realitas realitas.* Cum omnis determinatio entis vel solum realitas sit vel defectus (§. 40. cor. 1.) etiam consenti- re, quidquid in ente consentit, vel realitas est, vel defectus; sed defectus, cum in mero non esse consistat (§. cit.), nequit ad aliquid obtainendum tendere, seu consentire: ergo quidquid in ente consentit, est realitas.

LXXXVII. *Quidquid in ente dissentit, non non ve- est realitas.* Quidquid in ente dissentit, illud ro dissen- ei opponitur, ad quod obtainendum alia in ente varia tendunt; sed illud, ad quod obtainen- tire pot- dum varia in ente tendunt, est certissime quæ- piam realitas: ergo quidquid in ente ad idem non obtainendum tendit, sive dissentit, oppo- nitur alicui realitati; atqui realitas non oppo- nitur realitati (§. 4.): igitur quidquid in ente dissentit, realitas non est.

Coroll. Omnis igitur in ente perfectio a realitatibus: omnis imperfectio a defectibus proficiscitur.

Schol. Etiam imperfectionem remotivam a solis defectibus oriri attendenti perspicuum est, nimirum si defectus sit ejus generis, ut tametsi perfectionis absentiam involvat, non tamen reliquarum realitatum consensum impedit, pariet is imperfectionem duntaxat remotivam: *ut si vitrum tubi optici in aliquibus punctis non sit satis politum.* Si contra defectus non modo perfectionem excludat, sed etiam aliarum realitatum consensum impediendo reapse dissentiat, imperfectionem gignit contrariam: *ut vitium elat-*

teris in horologio. Porro, quia omnis entium perfectio a realitatibus oritur, fit ut vulgo quamvis realitatem perfectionem vocemus: sic sapientiam, doctrinam, pietatem hominis perfectiones dicimus; sic realitates, sive attributa divina, potentiam, sapientiam, aliasque perfectiones Dei compellamus, qui usus improbari certe non potest.

Quid perfectio essentialis, & accidentalis? LXXXVIII. Quæ in ente insunt, ad essentia-
talia attributa, & modos seu proprios, seu analogicos referuntur (§. 56. cor. 1.); illa semper consentiunt in hoc, ut ens sit hoc potius, hujusque speciei determinatæ ens, quam quodvis aliud; inde oritur perfectio *essentialis* cuivis omnino enti communis, quam olim bonitatem *metaphysicam* vocarunt. Consensus vero modorum cum *essentialibus*, & attributis in unum constituit perfectionem *accidentalem*.

Quid principium, ratio & regula perfectionis? LXXXIX. Id, ad quod obtainendum varia, quæ in ente sunt, tendunt, *principium perfectionis* dicitur, continetque rationem quæ efficit, quodlibet eorum ita sit, nec aliter, seu ex qua illa variorum conjunctio intelligi, ac explicari potest. *Ratio hæc ratio determinans perfectioni*, & propositio determinationem eidem consentaneam enuncians *regula perfectionis* audit.

Coroll. Posita itaque perfectione, ejus quoque principium, ratio determinans, atque regula ponenda est.

Quid perfectio simplex, & composita? XC. Regula perfectionis *simplex* est, aut *composita*, id est, ex pluribus partialibus, quæ ex diversis perfectionis rationibus, atque adeo ex diversis quoque principiis profluent, coalescens: in priori casu adest perfectio *simplex*, in posteriori *composita*; sic in *horologio*, in quo non solum horæ, sed & minuta, solis lunaque, ac aliorum planetarum cursus indicatur, perfectio est *composita*.

Quid regulæ partiales? XCI. Cum regulæ partiales ex diversis rationibus profluant, fieri potest, ut sibi mutuo

opponantur, unaque poscat, quod altera prohibet; id si fiat, oritur *regularum collisio*.
Dum porro opposita simul obtineri nequeant, ab iis faeo in casu determinatio alicui regulæ contra-
ria facienda erit, quæ exceptio a regula per-
fectionis audit, ac defectum apparentem caus-
sat (§. 80.): sic fieri potest, ut nequeant fe-
nestræ ita construi, ut simul & commodita-
ti prospectus, & sufficienti cubilis illumina-
tioni inserviant.

Schol. Si quod res est, fateamur; cum exce-
ptio a regula perfectionis sit determinatio
contra regulam facta ex una parte, tendit
ea ad idem non obtainendum, ac ideo dis-
sentit, paritque imperfectionem contrariam:
cum vero ex altera parte sit simul deter-
minatio secundum regulam facta, eo sub
respectu tendit ad idem obtainendum, adeo-
que consentit, & gignit perfectionem: ori-
tur igitur perfectio inseparabilis ab imper-
fectione, atque hæc imperfectio per eam-
dem regulam inducit, per quam perfectio
obtinetur; at vel ideo cessat esse vera im-
perfectio, ac in *apparentem* solum migrat;
quoniam imperfectio vero sensu dici nequit,
quæ in re quidem secundum se considerata
deprehenditur, continuo vero disparet, cum
res ea ad illam, ad quam pertinet, refer-
tur. Ita, tametsi in oculo humano secun-
dum se spectato imperfectio videri posset,
quod minutissima objecta non exhibeat, ea
tamen illico evanescit, cum ille ad totum
corpus, cuius pars est, cuiusque conserva-
tioni cum reliquis inservire debet, refer-
tur.

XCII. Ponamus plura perfecta, quæ tam-
quam partes unum quodpiam perfectum tam-
quam totum constituant, necesse erit, ut de-
tetur ratio determinans, regulaque generalis, ex
qua intelligatur, cur partes hujus totius tales
sint (§. 89. coroll.). Quia porro etiam partes

rum col-
lisio, &
exceptio
ab iis fa-
cienda.

Regulæ
Partium
subordi-
nantur
regulæ
totius.

ponuntur perfectæ; quævis rursus specialem suam rationem, ac regulam habebit, quæ omnes generali illi subordinandæ erunt hoc ipso, quod partes, qua perfectæ, constituant totum perfectum. Inde vero colligitur, ex eo, ad quod obtainendum partes in toto tendunt, intelligi, & explicari posse, ad quid obtainendum varia, quæ in quavis parte insunt, speciatim tendere debeant. *Exemplum sume ab oculo humano, horologio, vel tubo optico.*

*Quomo-
do exce-
ptio fa-
cienda?*

Schol. His quoque in casibus frequentes regularum collisiones occurrere posse per se manifestum est. Ut autem id genus exceptiones rite fiant, hæc notasse juverit. Generatim quidem exceptio ita instituenda est, ut imperfectiones, quæ per eam irre- pungunt, per perfectiones simul ingredientes, quantum fieri potest, compensentur. Tum regula nobilior præferenda ignobiliori, atque ab hac potius ut illa salva persistat, exceptio facienda est: cum igitur regula partis pugnat cum regula totius, illam negligere, hanc conservare oportet; perfectio enim totius nobilior est perfectione partis: sic brachium resecandum est ad vitam conser- vandam, mercesque in mare projiciendæ ad evitandum naufragium. Oritur hic quidem imperfectio in parte; at quæ a perfectione totius separari nequit, ut exemplo oculi humani supra allato patet; hac enim imperfectione, quod nimirum minima non attingat, ab oculo remota totum corpus redderetur imperfectum. Atque hoc sensu imperfectio partis non modo non reddit totum imperfectum, sed multo magis confert ad perfectionem totius. Nonnumquam denique temperatione quadam ipsa regularum colli- sio impediri potest, si nimirum id, quod in perfecto obtainendum est, gradus admittat, neglectoque majori minor eligatur; sic cum tubus opticus objecta & clara, & aucta re-

præsentare debeat, regularum collisio timenda est, si utrumque in altiori gradu exspectatur; quo enim majus est augmentum, eo minor est objecti claritudo, at in inferiori quodam gradu & conciliari possunt hæ regulæ, & omnis collisio vitari.

XCIII. *Perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas.* Perfectio, cum sit consensus variorum in ente (§. 85.), eidem in se & absolute spectato competit: igitur ea est determinatio entis (§. 39.), & quidem interna (§. 58.). Deinde ob eamdem rationem in ente sine alio assumto & dari & intelligi potest: ergo perfectio est determinatio interna entis, quæ sine alio assumto & dari & intelligi potest; sed id genus determinatio qualitas est, (§. 71.): igitur perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas.

Coroll. Igitur perfectio entium, quantitatem quoque seu gradus admittit (§. 72.).

Schol. In æstimanda perfectionis quantitate hæc attendenda sunt.

1.) Cum principium perfectionis gradus admittit, illud ceteris paribus perfectius est altero, in quo varia ad idem in altiori gradu obtinendum tendunt; ita ceteris paribus mundus, qui in majori gradu manifestat perfectiones divinas, antecellit reliquis, qui eumdem quidem finem, sed in inferiori gradu, assequuntur.

2.) Quo plenior est variorum consensio, eo major est entis perfectio; illud igitur, ceteris paribus, perfectius habendum est altero, in quo pauciores deprehenduntur imperfectiones non solum contrariæ, verum & remotivæ.

3.) Perfectio simplex eo est major, quo plures, & maiores, sive interiores in ente insunt realitates, quæ consentiunt: quod si igitur realitates fuerint omnes possibles, & nullo limite adstrictæ, seu absolutæ

Perfectio
est entis
qualitas,

admit-
tens
quantita-
tem.

Quomo-
do ea æ-
stimandas?

(§. 40.), ens illud erit absolute perfectissimum, id est infinite perfectum (conf. §. 87. sch.). Inerit enim in eo omnis possibilis consensus.

- 4.) Quantitatem perfectionis compositæ constituunt plures regulæ partiales, quæ observantur: inde compositum altero perfectius censendum est, cum cetera sunt paria, quod pluribus constat perfectionibus simplicibus, & in quo vel reipsa pauciores sunt exceptiones, vel saltem eæ ita institutæ, & minimum, quoad fieri potest, imperfectionis inducant.
- 5.) Quodsi perfectio simplex finita cum composita comparari possit, hanc illi præferendam esse per se clarum est; sic quippe horologium quod præter horas, minuta quoque indicat, perfectius dicimus altero, quod solas horas ostendit. Verum inter ea, quæ diversi sunt generis, potissimum talis comparatio institui nequit; tum vero ad id attendimus, utrum in quovis varia ita comparata sint, ut optime ad suum principium, sive finem peculiarem sive propositum consentiant; quod, si ita habeat, dicimus omnia ea æqualiter suo in genere perfecta esse: sic diversi generis mundos, quorum nempe quisque ad perfectiones divinas in alio gradu manifestandas ordinatur, suo in genere æque perfectos esse putamus, modo eorum quivis ad suum peculiarem finem quam optime tendat.

S E C T I O III.

DE DIVERSIS ENTIUM SPECIEBUS.

Quæ hujus sectionis summa? §. XCIV. Acturus de variis entium speciebus (§. 7.) necesse habeo, ut de ente necessario, & contingente, immutabili, et muta-

bili, composito, & simplice, finito denique, & infinito disseram. Verum plurimæ sunt præterea notiones, quæ, quia cum his intimo quodam nexu copulantur, & alios quoque magnos usus afferunt, in ontologia omitti nequam possunt. Pertractationem igitur præsentem ita absolvam, ut principe quidem loco enumeratas entium species dilucidem; reliqua vero, quæ ignorari non debent, prout nexus ratio tulerit, persequar.

C A P U T I.

De Ente Necessario, & Contingente.

XCV. Determinatio, quæ ita enti convenit, ut ejus opposita eidem convenire non possit, *necessario*; quæ vero ita enti convenit, ut ejus quoque opposita, tametsi non eodem tempore, eidem convenire queat, *contingenter* enti inesse dicitur. Inde oritur abstractum, quod *necessitas*, aut *contingentia* appellatur.

Coroll. Generatim igitur quidquid ita est, ut ejus oppositum repugnet, *necessarium*, & quidquid ita est, ut ejus oppositum non repugnet, *contingens* est.

XCVI. Determinatio, quæ in ente esse necessaria & quotu-
quit, vel absolute, vel hypotheticè repugnat plex?
(§. 37.) hinc duplex est *necessitas*; *absoluta*, seu *antecedens*, cum oppositum absolute repugnat: sic *absolute necessario circulus* est rotundus: *hypothetica*, seu *consequens*, cum oppositum sub conditione quapiam repugnat, sic *hypothetice necessario mundus existit*, dum existit. Similiter, cum impossibilitas sit vel metaphysica, vel physica, vel moralis (§. cit.), *necessitas* quoque in *metaphysicam*, *physicam*, & *moralē* rite distribuitur: quia vero ratione per se clarum est.

XCVII. *Necessitas*, quæ de aliquo deter-

minate sumto affirmari potest, determinata est; sic alterutrum ex contradictoriis determinata necessitate verum est (conf. §. 59. sch.); quæ vero de nullo determinato, sed solum de aliquo ex omnibus possibilibus indeterminate sumpto prædicatur, indeterminata, seu vaga dicitur (conf. §. 108. log.): sic vaga est necessitas alicujus calami ad scribendum, alicujus figuræ in extenso.

Coroll. Vaga necessitas non extat in iis, quæ vaga necessaria dicuntur ad alterum, nisi istud vel jam actu existat, vel saltem existere debeat: igitur necessitas hæc est solum hypothetica.

Schol. Hæc nimirum enunciatio: *aliquis calamus est necessarius ad scribendum*, reapse hunc sensum continet; si existeret, vel existere deberet *scriptio*, *necessarius* foret *aliquis calamus*: unde patet necessitatem calami consequi *hypothesin*, quod *scriptio* vel *actu* existat, vel saltem existere debeat. Res hæc summi est momenti ad confutandos atheos, ut suo loco videbimus.

Absoluta
tollit
contingentiam;

XCVIII. Necessitas absoluta tollit contingentiam: non item hypothetica. Quidquid est absolute impossibile, numquam fieri potest possibile (§. 36. cor. 1.): igitur determinatio opposita illi, quæ enti absolute necessario inest, numquam fieri potest possibilis, atque adeo nec eidem enti umquam inesse; atqui hac ratione tollitur omnis contingentia (§. 95.): ergo necessitas absoluta tollit contingentiam.

Hypothetica non
item;

Deinde, quod solum hypothetice impossibile est, in se spectatum est possibile, & remota illa hypothesi evadit absolute possibile (§. 37. cor. 1.): igitur determinatio opposita illi, quæ enti hypothetice necessario inest, in se spectata enti in se spectato inesse poterit; atqui hac ratione contingentia non læditur (§. 95.): ergo necessitas hypothetica contingentiam non tollit.

Coroll. 1. Nihil igitur potest simul esse absolute necessarium, & contingens, sub eodem nimis respectu: potest autem aliquid esse simul hypothetice necessarium, & tamen contingens.

Coroll. 2. Inde ulterius sequitur necessitatem absolutam contradictione opponi contingentiæ, proinde, quidquid est, esse vel absolute necessarium, vel contingens (§. 197. sch. l. 3. log.).

Schol. Vel me tacente perspicuum est, sermonem hic esse de hypothesi, quæ tolli possit; in casu enim opposito necessitas hypothetica æquiparatum absolutæ, quemadmodum de impossibilitate dictum est (§. 37. cor. 2.)

XCIX. *Necessitas absoluta nec initium, nec finem admittit.* Necessitas absoluta est in eo, cuius oppositum absolute repugnat (§. 96). Igitur si necessitas absoluta vel initium, vel finem haberet, aliquid, quod est absolute impossible, aliquando vel fuisset, vel foret possibile: sed hoc est vehementer absurdum (§. 37. coroll. 1.): ergo necessitas absoluta nec finem admittit.

Coroll. Cum id, quod initio, & fine caret æternum dicamus, omnis necessitas absoluta est quoque æterna.

G. *Necessitas absoluta est in omni loco eadem.* Si id, quod est absolute necessarium in loco *a*, non foret etiam absolute necessarium in loco *b*, tum pariter aliquid, quod esset absolute impossible in loco *a*, foret absolute possibile in loco *b* (§. 96. & præc.): sed hoc fieri nequaquam potest (§. 57. cor. 1.): ergo necessitas absoluta est in omni loco eadem.

Coroll. Quod igitur absolute necessarium est, illud tale est in omni loco, & tempore, atque adeo necessitas absoluta per-

fectissime abstrahit ab omni loco, & tempore.

Schol. Ita necessitas absoluta, qua circulus est rotundus, aut totum majus sua parte, omni cogitabili temporis momento, & in omni possibili loco prorsus invariata persistit; neque enim ante mille annos, aut in America minus necessarium fuit circumlum esse rotundum, & totum majus sua parte, quam id & hodie, & in Europa sit. *Profecto*, qui necessitatem absolutam ad certum aliquem locum, aut determinatum temporis momentum restringi posse putat, ille hoc ipso necessitatem absolutam tollit, & hypotheticam substituit; necessitas enim absoluta certo loco, aut tempori affixa esset necessitas sub hypothesi, quod locus ille, vel tempus adsit. Nullam igitur coarctationem admittit necessitas absoluta, & hoc ipso solum quod aliqua ratione necessitas absoluta.

*Essentia
est abso-
lute ne-
cessaria
in ente.*

C1. *Essentia enti cum absoluta necessitate competit.* Cum ens sua essentia expoliari numquam possit (§. 46. coroll.), sublata essentia tollitur ipsum ens; sed essentia entis tollitur per positionem oppositi: ergo per positionem oppositi essentiæ tollitur ipsum ens, atque adeo essentiæ oppositum in ente inesse absolute non potest: sed id cum absoluta necessitate est in ente, cuius oppositum in eodem inesse absolute nequit (§. 96.): igitur essentia enti cum absoluta necessitate competit.

Coroll. 1. Essentiæ igitur rerum sunt absolute necessariæ, atque ideo quoque simul æternæ (§. 99. cor.).

Coroll. 2. Cum attributa in essentia rationem sufficientem habeant (§. 56.), ipsa etiam absolute necessaria, & æterna sunt.

Schol. Atque inde philosophi affirmant in omni

ente inesse quamdam necessitatem absolutam, eamque necessitatem essentiæ, vel definitionis compellant.

CII. Quidquid enti vi essentiæ non tribuitur, id, si conveniat, contingenter eidem convenit. Quodvis ens per suam essentiam est hoc ens (§. 45. sch.): igitur etiam sublato illo, quod rei præterea convenit, perseverat esse hoc ens; sed si sublato illo, quod enti non vi essentiæ convenit, tamen perseverat esse hoc ens, tum illud, quod enti convenit, sed non vi essentiæ, ei ita convenit, ut etiam oppositum æque convenire possit, & hoc est contingenter convenire (§. 95.): ergo quidquid enti vi essentiæ non tribuitur, id si conveniat, contingenter eidem convenit.

Coroll. 1. Quæ enti contingenter competit, postulant rationem sufficientem (§. 12.), ea que vel interna, vel externa esse potest (§. 19.): inde contingentia quoque alia dicuntur *interna*, alia *externa*.

Coroll. 2. Nec modi proprii, nec modi analogici vi essentiæ enti tribuuntur (§. 56. cor. 3.): igitur cum insunt, contingenter insunt; hi quidem cum contingentia interna, illi cum externa,

Coroll. 3. Similiter patet determinationes externas, sive relationes (§. 58.) enti vi essentiæ nequaquam convenire: si igitur relationes quædam enti competant, id contingens sit, necesse est.

Schol. Non est mihi sermo de relationibus, quæ inter personas divinas intercedunt; eæ enim alterius sunt generis, nec ad philosophiam pertinent: id quod toties notandum venit, quoties de relationibus mentio recurrat.

CIII. Si ens a se existit, eidem existentia absolute necessario; si ens ab alio existit, eidem existentia contingenter competit. Si ens a se existit, eidem non existentia abso-

lute necessario;

enti ab
alio con-
tingenter
convenit.

lute repugnat, & si ens ab alio existit, eidem non-existentia solum hypothetice repugnat (§. 52.): igitur priori ita convenit existentia, ut oppositum absolute convenire nequeat, & posteriori ita convenit existentia, ut etiam oppositum convenire absolute possit; sed id est absolute necessario & contingenter convenire (§. 95.): ergo si ens a se existit, eidem existentia absolute necessario & si ens ab alio existit, eidem existentia solum contingenter competit.

Coroll. Igitur in ente a se existentia est absolute necessaria; in ente ab alio ea est contingens.

Quid ens
necessa-
rium &
contin-
gens?

CIV. *Ens necessarium* voco ens, cuius existentia est absolute necessaria; *ens contingens* vero, cuius existentia est contingens.

Coroll. 1. Ens a se est ens necessarium, & ens ab alio est ens contingens (§. 52.), omnique ens vel necessarium, vel contingens est (§. 88. cor. 2.).

Coroll. 2. Igitur etiam ens necessarium in statu nudæ possibilitatis numquam esse potest; sed si est possibile, existit (§. 52. cor. 1.), & sufficientem suæ existentiæ rationem in se continet, proinde ejus existentia attributum est (§. 56.).

Coroll. 3. Ens contingens potest esse in statu nudæ possibilitatis, neque hoc ipso, quod fit possibile, existit (§. cit. cor. 2.), atque ideo etiam in se non continet rationem sufficientem suæ essentiæ.

Schol. Necessitas hæc absoluta concipi debet velut ratio, quæ efficit, ut ens, quod necessarium dicitur, existat; inde cavendum omnino est, ne eam putemus ipsam entis existentiam consequi; sic enim in hypotheticam degeneraret. Si igitur recte cogitare velis, cogita hanc necessitatem entis existentiam præcedere non quidem prioritatem temporis, utraque enim est æterna, sed prio-

ritate naturæ, & naturali idearum ordine.

CV. Si existit ens necessarium, illud quo-
ad existentiam ab alio non pendet. Si ens ne-
cessarium existit, tum ejus existentia a sola
ejusdem possibilitate pendet (§. præc. cor.
1.): igitur sicut possilitas ipsa, ita quoque
existentia est determinatio sine alio possibi-
lis; sed nullum ens quoad eam determinatio-
nem ab alio pendet, quæ sine alio est possi-
bilis (§. 60.); ergo si existit ens necessarium,
illud quoad existentiam ab alio non pendet.
Patet id quoque immediate ex notione entis
a se (§. 52.).

Ens ne-
cessa-
rium in
existendo
non pen-
det ab
alio.

Coroll. Igitur ens necessarium existere potest,
tametsi nullum aliud ens existat.

CVI. Si existit ens necessarium, illud quo-
ad nullam determinationem internam ab alio
pendet. Quidquid existit, est undequaque in
se determinatum (§. 59. schol. log.): igitur
etiam ens necessarium, si existit, jam est un-
dequaque in se determinatum; atqui ens ne-
cessarium, si existit, potest existere sine o-
mni alio (§. præc. cor.): ergo etiam ens ne-
cessarium si existit, potest esse undequaque
in se determinatum sine omni alio: sed si
ens necessarium existens potest esse undequa-
que in se determinatum sine omni alio, tum
nullam continet determinationem internam
sine alio non possibilem, atque adeo quoad
nullam determinationem internam ab alio
pendet (§. 60.): ergo si existit ens necessa-
rium, illud quoad nullam determinationem in-
ternam ab alio pendet.

Nec in
nulla a-
lia deter-
minatio-
ne æter-
na.

Coroll. 1. Igitur ens necessarium est unde-
quaque, & sub omni respectu interne inde-
pendens ab omni alio ente.

Coroll. 2. Et quia modi proprii sunt determi-
nationes internæ (§. 58. coroll.) ab alio pen-
dentes (§§. 56. 60. evidens est enti neces-
sario, si existat, non posse inesse modos
proprie dictos.

Coroll. 3. Ergo etiam, e converso, ens, in quo insunt modi proprii, non est ens necessarium, sed contingens (§. 104. cor. 1.).

*Ens contingens
in existendo
pendet
ab alio,*

CVII. *Si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab alio.* Cum existentia entis contingentis pariter contingens sit (§. 104.), petit ea rationem sufficientem (§. 21.); quæ, cum interna esse nequeat (§. 104. cor. 3.), externa esse debet (§. 19): igitur si ens contingens existit, illud habet rationem sufficientem suæ existentiæ in alio, seu, quod idem est, illius existentia sine alio possibilis non est, atque adeo ab alio quoad existentiam pendet (§. 60.).

Coroll. Existentia entis contingentis est modus proprius (§. 56.), atque ideo omne ens contingens potest habere modos proprios dictos.

*eoque
necessa-
rio.*

CVIII. *Si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab ente necessario.* Imprimis hæc existentia pendet ab alio (§. præc.); jam illud aliud esse ens necessarium sic evinco: cum demonstratio data valeat de omni ente contingentente, ut per se clarum est, quamdiu hæres in entibus contingentibus, semper deprehendis existentiam dependentem, nunquam tamen ejus rationem sufficientem; ut igitur hanc detegas, extra omnia contingentia exire debes; sed extra omnia contingentia est ens necessarium (§. 104. cor. 1.): ergo ratio sufficiens existentiæ entis contingentis continetur in ente necessario, id est, si existit ens contingens, illud quoad existentiam pendet ab ente necessario.

Schol. Putant athei robur demonstrationis hujus labefactari, si ponantur entia contingentia numero infinita; de hoc quidem alias erit dicendi locus, istud tamen interea notari velim: quod demonstratur de uno ente contingentente, quia contingentente, illud valet etiam de quocumque eorum numero, adeoque

etiam, si velis, infinito; quocumque enim sint, sunt tamen entia contingentia: quemadmodum quod geometra demonstrat de uno circulo, applicari debet ad omnes possibles. Cum igitur entia contingentia in infinitum multiplicas, simul in infinitum multiplicas rationem, quae demonstrat ens contingens in existendo pendere ab ente necessario.

CIX. *Ens necessarium, a quo existentia entis contingentis pendet, est existens.* Ens illud necessarium vel est impossibile vel possibile (§. 29.); illud esse nequit, nam cum impossibilis sit non ens (§. 38.), in non-ente continuaretur ratio sufficiens alicujus realitatis, quod perspicue absurdum est, & reipsa pugnat cum §. 21.: ergo alterum; porro si ens illud necessarium possibile est, vel illud est nude possibile, vel actuale (§. 50. cor. 1.): primum rursus esse non potest (§. 104. cor. 2.): ergo alterum obtinet, id est, ens necessarium, a quo existentia entis contingentis pendet, existens.

Schol. Si igitur vel unicum ens contingens existit, existit quoque ens necessarium.

CX. *Si existit ens necessarium, illud est eternum.* Si existit ens necessarium, existit illud necessitate absoluta (§. 104.); sed necessitas absoluta est æterna (§. 99. cor.): ergo si existit ens necessarium, illud existit necessitate æterna; sed hoc ipso etiam æternum est: ergo si ens necessarium existit, illud æternum est.

CXI. *Si existit ens necessarium, illud existit in omni loco, seu quoad locum immensum est.* Si existit ens necessarium, tunc illud existit vel in omni loco, vel in aliquo tantum: istud esse nequit: ponamus enim ens necessarium existere in aliquo tantum loco; existet igitur in illo vel necessario, vel contingenter (§. 98. cor. 2.); non primum: nam

nulla potest esse ratio, ut ens necessarium uni tantum loco necessario affigatur. Non alterum; nam quod in loco contingenter existit, de loco in locum moveri; ac proinde quoad statum internum, accedente nimirum nova vis internæ modificatione, mutari potest, quod in ens necessarium non cadit, ut infra (§. 120.) demonstrabo. Igitur si ens necessarium existit, tunc illud existit in omni loco, seu quoad locum immensum est.

Schol. Veniam dabit benevolus lector ad futuram demonstrationem contra methodi leges provocanti: opportunum non videbatur rem eo reijcere, tum quod magnam habet immensitas cum æternitate analogiam, tum quod ibi de hujus generis proprietatibus deserendi locus non erit.

In ente
necessa-
rio possi-
biles sunt
omnes
realitates
illimita-
tæ,

CXII. *In ente necessario possibles sunt omnes possibles realitates illimitatæ.* Ens, quod omnibus possilibus realitatibus illimitatis præditum sit, est possibile (§. 43. cor. 1.); sed istud non est ens contingens; hoc enim per essentiam excludit independentiam (§. 107.), quæ certe vera est realitas, ergo ens possibile, quod omnibus possilibus realitatibus illimitatis præditum sit, est ens necessarium (§. 104. coroll. 1.); atqui si ens necessarium est possibile, quod omnibus possilibus realitatibus illimitatis præditum sit, tunc utique in ente necessario possibles sunt omnes possibles realitates illimitatæ: ergo in ente necessario reapse possibles sunt omnes possibles realitates illimitatæ.

& si exi-
stat, in
eo quo-
que exi-
stunt.

CXIII. *Si ens necessarium existit, existunt quoque in eo omnes possibles realitates illimitatæ.* Si ens necessarium existit, tunc istud existit hoc ipso solum, quod sit possibile (§. 104. cor. 2.): igitur etiam si ens necessarium existit, existunt in eo omnes realitates in eo possibles, hoc ipso solum, quod sint possibles; sed omnes possibles realitates illimitatæ

sunt in eo possibles (§. præc.); ergo si ens necessarium existit, existunt quoque in eo omnes possibles realitates illimitatae.

Coroll. Cum ens, in quo omnes possibles realitates illimitatae existunt, sit ens absolute perfectissimum (§. 93. sch. n. 3.), patet, ens necessarium, si existat, esse absolute perfectissimum.

CXIV. Ens necessarium non potest esse nisi unicum. Inde ens necessarium est absolute perfectissimum & unicum. Ens necessarium est ens absolute perfectissimum (§. præc.): sed ens absolute perfectissimum non potest esse nisi unicum. Sint enim vero duo, pollebunt ea & liberrima, & efficacissima voluntate: igitur poterunt velle contradictoria; igitur etiam fieri poterit, ut vel duo contradictoria sint simul vera, vel ut alterutrum id, quod efficacissime vult, non obtineat: quo te cumque vertas, nodo te implicas insolubili: igitur manifestum est, ens necessarium non posse esse nisi unicum.

Schol. Hujus demonstrationis laqueo te non explicabis dicendo, numquam fore, ut duo entia perfectissima in volendo dissentiant; non enim id agitur: esto: idem semper velint, volent tamen liberrime: poterunt igitur dissentire; poterit unum velle, ut mundus existat; alterum, ut mundus non existat; ac proinde poterit quoque vel mundus simul existere, & simul non existere, vel alterius voluntas in irritum cadere.

Aliud ad stabilendam hanc veritatem nomenatum adfert ipsa necessitas absoluta, qua ens necessarium existit, si existat; haec nimirum necessitas absoluta, uti ad nullum tempus, vel locum (§§. 99. 100.); ita neque ad nullum numerum restringi potest, quin hoc ipso cesseret esse absoluta, & in hypotheticam transeat: inde vero consequens est, ut, si detur quædam necessitas absoluta ad existendum, ea sit vel in uno tantum ente, vel in omnibus possibilibus; quem enim cum-

que numerum ponas, cum quivis alter numerus sit æque possibilis, jam necessaria foret quædam hypothesis eam necessitatem absolutam ad hunc determinatum entium numerum restringens. Jam vero in omnibus possibilibns entibus inesse necessitatem absolutam ad existendum apertissime cum ratione pugnat. Restat igitur, ut si quædam sit, ea sit in uno solum. Sed jam satis de ente necessario, & contingente: si cuiquam hac in re æquo longior fuisse videar, eum ad theologiam remitto; ibi enim horum omnium fructus amplissimus patebit.

C A P U T II.

De Ente Immutabili, et Mutabili.

Quid
mutabi-
le, & im-
mutabi-
le?

CXV. *Mutatum esse dico, quod non amplius idem est, seu quod amplius sibi substitui nequit (§. 62.) : inde colliges, quid *mutable* sit, & *immutable*: illud nempe potest, hoc non potest mutari; sic lapis prius calidus, nunc frigidus sibi amplius substitui nequit, est ergo mutatus.*

Necessa-
rium im-
mutabi-
le; con-
tingens
mutable
est.

CXVI. *Quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu est quoque immutable; et quo respectu aliquid contingens est, eo quoque respectu est mutable. Quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu ejus oppositum est impossibile; & quo respectu aliquid est contingens, eo respectu ejus oppositum est possibile (§. 95.); sed id, cuius oppositum est impossibile, non potest, & id, cuius oppositum est possibile, potest mutari: illud enim debet, hoc non debet semper manere idem: ergo quo respectu aliquid est necessarium, eo respectu est quoque immutable, & quo respectu aliquid est contingens, eo respectu est mutable.*

Coroll. i. Ergo quidquid est vel absolute, vel

De Ente Immutabili, & Mutab. 101
hypothetice, vel metaphysice, vel physice,
vel moraliter necessarium (§. 96.), illud
eadem ratione est immutabile. Idem ab op-
posito valet de contingente.

Coroll. 2. Inde ulterius essentiæ rerum cum
attributis (§. 101. cor. 1. & 2.), & ex-
istentia entis necessarii (§. 104.) sunt ab-
solute immutabiles.

Coroll. 3. Contra modi tam proprii, quam a-
nalogici cum relationibus (§. 102. cor. 2. & 3.),
& existentia entis contingentis (§. 104.),
sunt absolute mutabiles.

Coroll. 4. A mutabilitate absoluta ad hypo-
thetical non rite concluditur: potest igitur
aliquid, quod sit absolute mutabile,
hypothetice tamen esse immutabile.

CXVII. *Siqui modi analogici in ente ne-*
cessario insunt, ii in eodem sunt immutabi-
les. Ponamus inesse in ente necessario modos
analogicos, eosque mutari, mutarentur certe
ab ipso ente necessario (§§. 56. & 106. cor. 1.);
sed ens necessarium suos modos analogicos,
si quos habet, mutare non potest; hæc enim
mutatio non posset proficisci, nisi vel ab i-
gnorantia alicujus rei, vel a quadam animi
inconstantia & levitate, quæ pugnant cum
absoluta perfectione ipsi competente (§. 113.
coroll.): ergo siqui modi analogici insunt
in ente necessario, ii in eodem sunt immu-
tabiles.

Coroll. Hæc igitur immutabilitas est imme-
diate hypothetica, sub hypotesi nimirum,
quod ens necessarium debeat esse absolute
perfectissimum: quia tamen hypothesis ista
tolli absolute non potest, ea æquiparatur
absolutæ (§. 98. schol.).

CXVIII. *Modi tam proprii, quam analogi-*
ci ad statum entis internum; relationes ad
externum pertinent (§. 61. cor.): *cum illis i-*
gitur internum, cum his externus entis status
mutatur. Mutatio status interni est interna,

Modi a-
nalогici
in ente
necessa-
rio non
mutan-
tur.

Quid
mutatio
entis in-
terna, &
externa?

& propria entis mutatio: mutatio status externi est *externa*, & *inpropria* entis mutatio: relationes enim, cum sint totæ externæ, in ente nihil ponunt: quare cum mutantur, mutantur solum respectu entis ad alia.

Quid
ens im-
muta-
ble, &
mutabi-
le?

Ens ne-
cessa-
rium est
ens im-
mutabi-
le?

Ens con-
tingens
est ens
mutabi-
le.

CXIX. *Ens immutabile* voco illud ens, cuius status internus absolute nequit mutari: contra *ens mutabile*, cuius status internus mutari absolute potest.

Coroll. Omne ens vel est ens immutabile, vel ens mutabile.

CXX. *Ens necessarium est ens immutabile.* Determinationes, quarum collectio internum entis necessarii statum constituunt (§. 61.), sunt essentialia attributa, & si qui adsunt, modi analogici (§. 53.), modi enim proprii inesse nulli possunt (§. 106. cor. 2.), sed essentialia cum attributis sunt absolute immutabilia (§. 116. cor. 2.), & hypothetica modorum analogicorum immutabilitas æquiparatur absolutæ (§. 117. coroll.): ergo internus entis necessarii status mutari absolute non potest; sed ens, cuius status internus absolute nequit mutari, est ens immutabile (§. præc.): ergo ens necessarium est ens immutabile.

Coroll. Ergo etiam ab opposito: ens necessarium non est ens mutabile: ac proinde etiam inverse: ens mutabile non est ens necessarium.

CXXI. *Omne ens contingent est ens mutabile.* Omne ens contingens habet existentiam mutabilem (§. 116. cor. 3.), & alias præterea admittit modos proprios (§. 107. cor.), qui sunt absolute mutabiles (§. 116. coroll. 3.): ergo illius status internus absolute mutari potest; sed illud, cuius status internus absolute mutari potest, ens est mutabile (§. 119.): ergo omne ens contingens est ens mutabile.

Coroll. Ergo etiam ab opposito: nullum ens contingens est ens immutabile, ac proinde

etiam inverse; ens immutabile non est ens contingens.

CXXII. *Ens immutabile est ens necessarium.* Ens immutabile vel est ens necessarium, mutabile est ens contingens (§. 104.), sed ens immutabile non est ens contingens (§. præc. cor.): ergo ens immutabile est ens necessarium.

CXXIII. *Omne ens mutabile est ens contingens.* Omne ens mutabile vel est ens contingens, vel ens necessarium (§. 104.): sed nullum ens mutabile est ens necessarium (§. 120. cor.): ergo omne ens mutabile est ens contingens.

CXXIV. *Variatio contingit, cum determinatio una aliqua in locum a se diversum in ente succedit, estque vel interna, vel externa,* prout de determinationibus internis, vel externis agitur. Ens, in quo variatio possibilis est, *variabile* dicitur.

Coroll. 1. Facta variatione ens amplius sibi substitui non potest: igitur facta est mutatio (§. 113.); omnis proinde variatio cum mutatione conjungitur, & quo respectu aliquid est variabile, eo etiam est mutabile, & vicissim.

Coroll. 2. Quidquid variari potest, contingens sit, necesse est: quia porro soli modi & proprii, & analogici in ente contingentes sunt, ii etiam soli in ente variari possunt.

Schol. Inde est, cur Philosophi generatim omnem variationem internam, quæ sola propria est entis variatio (conf. §. 118.), modificationem entis; ens autem illud, cui in se spectato variatio modorum seu propriæ, seu analogice sic dictorum non repugnat, subjectum modificabile compellent. Quia porro successio modorum tempore aliquo eget, necesse est, ut subjectum, quod sit modificabile, simul aliquandiu in existendo perseveret, seu, ut ajunt, sit perdurable. Atque sic devolvimur ad notio-

Quid
variatio,
& quo-
tuplex!

Quid
modifica-
tio?

C A P U T III.

De Substantia , Accidente , et Vi.

Quid substan- CXXV. Ens, quatenus spectatur ut habens
tia , & ac- essentiam , & præterea affectionum capax ,
cidens ? subiectum dixi (§. 49.) : istud subiectum jam
posthac substantiam vocabo, accidentia vero
affectiones omnes, quæ ipsi insunt, vel inesse
possunt. Est enim substantia ex communi
philosophorum sententia illud, quod per se
existit, id est, in existendo non pendet ab
alio tamquam subiecto ; & accidens, quod e-
xistit in alio tamquam subiecto, cui inhæret.
Coroll. 1. Quidquid existit, substantia est,
vel accidens .

Coroll. 2. Si inter affectiones locum habeant
modi, erit substantia subiectum perdurable,
et modificabile, quæ est definitio Wolfii.

Coroll. 3. Accidentia extra substantiam exi-
stere nequaquam possunt, & determinatio-
nes, quæ ipsis tribuuntur, sunt reapse de-
terminationes substantiæ, cui inhærent : Sic
libertas tribuitur voluntati, est autem re-
vera determinatio animae, quæ vult.

Aet. Schol. Leibnitius substantiam definivit per ens,
erud. an. quod principium mutationum in se continet;
1694. at vero non videtur ita sine probatione su-
p. 110. mi posse in quavis substantia inesse suarum
mutationum principium. Qui autem substanc-
tiam per modum receptaculi vacui, in quo
omnes determinationes, essentialia videli-
cet, attributa, & modi inhæreant, conci-
piunt, ii ideam solum imaginariam (§. 152.
sch. log.) animo informant, atque inde mi-
rum non est, quod de summa ideæ hujus
obscuritate cum Lokio vehementer conque-
rantur; cum enim a subiecto illo omnia men-

te abstrahant, & in accidentium numero reponant, nihil in ipsa substantia relinquunt, quod intelligere, ac discernere possint. Est certe absurdum, omnia quæ in ente insunt, referre inter accidentia, & tamen velle, ut præterea supersint, quæ in eo cogitentur. Quod ad impiam substantiæ definitionem a Spinoza allatam attinet, dicam uberior pro rei gravitate, sed alio loco.

CXXVI. Ens agit, cum efficit, ut aliquid ad actualitatem, sive existentiam perveniat : abstractum *et agere* vocatur *actio*, estque in se nihil aliud, quam determinatio, seu efficientia actualitatis cuiusdam : id vero, quod existens fit, seu agitur, *effectus* cognominatur. Quid *actio*, & *effectus*?

CXXVII. Porro ipsum agens saepius *actionis subjectum* audit, tum vero effectus dicitur *terminus actionis* : quia vero terminus hic vel in ipso subiecto agente, vel extra ipsum esse potest, inde duplex oritur actionis species ; in priori nimirum casu actio est *immanens*, in posteriori *transiens*. Inde intelligitur, quando ens *immanenter*, quando *transitive* agat. Quid *actionis subiectum*, & *terminus*?

CXXVIII. Actioni opponitur *passio*, quæ est abstractum *et pati* ; patitur vero ens, in quo per alterius actionem aliquid sit existens ; unde *passio* est quædam entis mutatio, cuius ratio sufficiens in actione alterius continetur. Quid *passio*?

CXXIX. Cum unum ens ab altero patitur, alterum in hocce agit : igitur *agere in alterum* est efficere, ut alteri aliquid actuale competit. Id quod efficit ut alteri aliquid actuale competit, vel id in altero efficit vera sua actione, vel solum actione sua aliquid, quod obstabat, ne illud actuale fiat, removet ; in primo *actio in alterum* est *propria* : in secundo *impropria*, seu *remotiva*. Quid *actio in alterum*, & *quotuplex*?

CXXX. Ens, quod agit, etiam agere, & quod patitur, pati potest (§. 50.). Quatenus ens agere potest, eatenus illi tribuitur facultas agenti, & patienti :

tus activa, seu *agendi potentia*, quæ proinde aliud non est, quam *possibilitas actionis concipienda*, atque *intelligenda per ea*, quæ in ente insunt; *quatenus vero ens pati potest*, eatenus ei *facultas passiva*, seu *potentia patiendi competit*, quæ rursus nihil est aliud, quam *possibilitas passionis concipienda per ea* quæ in ente insunt. *Sic anima habet facultatem volendi, ignis urendi, lapis ut calefiat.*

Quid vis,
eiusque
actus
imis &
adus?

CXXXI. Quatenus ens agere duntaxat potest, eatenus nondum agit, neque umquam ex sola actionis possibiliitate, seu potentia activa ipsa actionis actualis sequitur (§. 50.); necesse igitur est, ut si actio existat, adsit aliquid quod efficiat, ut actio existat potius, quam non. Id, quod efficit, ut actio existat, vocatur *vis*; estque vel *in actu secundo*, cum actu exercetur, & efficit, ut actio existat, vel *in actu primo*, cum nondum exercetur.

Coroll. 1. Posita vi in actu secundo ponitur actio: non item posita vi in actu primo: effectus igitur pendet a vi in actu secundo, seu hæc ut in actu secundo constituta continet rationem sufficientem effectus.

Coroll. 2. Vis in actu primo media est inter facultatem activam, & vim in actu secundo; hæc porro rursus medium tenet locum inter vim in actu primo, & affectum; actio vero in ipso illius exercitio consistere videtur.

Quod im-
pedimentum, &
resisten-
tia?

CXXXII. *Impedimentum* est id, quod continet rationem, cur rationatum, cuius ratio sufficiens jam erat posita, non ponatur, sive quod efficit, ut ratio de se sufficiens fiat insufficientis (§. 18.); nominatim vocatur *resistentia*, si referatur ad actionem.

Coroll. 1. Ut igitur ratio sufficiens talis perseveret, requiritur remotio impedimenti, quæ ratio removens, vel potius, *conditio sine qua non dici consuevit.*

Coroll. 2. Cum posita vi in actu secundo po-

natur actio (§. præc. coroll. 1.), posita resistentia nequit poni vis in actu secundo.

Schol. Vis remota omni resistentia determinatur ad actum secundum vel ex natura sua, vel ab ipso subiecto agente, cui ea inest, inde oritur partitio in *liberam*, & *necessariam*, de quo alias.

CXXXIII. *Omne, quod agit, est substantia.* Quod agit, vel substantia est, vel accidentis (§. 125. cor. 1.): si primum, habetur propositum; si alterum: tum quædam determinatio, nimirum actio, tribuitur accidenti; sed determinatio, quæ tribuitur accidenti, est determinatio substantiæ, in qua ipsum inhæret (§. cit. coroll. 5.); igitur rursus actio non est accidentis, sed substantiæ; ergo omne, quod agit, substantia est.

Coroll. Quod agit, pollet vi (§. 151.): ergo & vis non est, nisi in substantia.

Schol. Probare hic quidem aliorum exemplo oporteret, cuivis substantiæ insitam esse vim agendi, sed ea res nondum matura est: quare ad quam toto hoc capite viam stravi, doctrinam de principiis, & caussis dilucide explanandam aggrediar, ubi tamen ante notiones subsistentiæ, suppositi, & personæ cum idea substantiæ copulatas exposuero.

CXXXIV. *Subsistens generatim est quidam substantiæ modus, isque duplex: unus omni substantiæ essentialis, quod ipsam in esse substantiæ constituit, estque ipsa independentia a subiecto *inhæsionis*, quam olim persistatem vocarunt; huic opponitur dependentia a subiecto *inhæsionis*, quæ est essentialis cuivis accidenti (§. 125.), & *inhærentia* dicitur. Alter, græcis *ὑποστασις*, veteribus *suppositalitas*, quo substantia singularis redditur sui juris, & incommunicabilis alteri; intelligiturque per se, & complete existere.*

Vid. quoque Dariesius.

Quod agit, substantia est.

Quid subsistens, & quotuplex?

Ontolog.
§. 35. &
seqq.

Quid
supposi-
tum, &
quotu-
plex?

*Lib. de
pers. &
nat. c. 3.*

CXXXV. *Suppositum*, ὑφιστατένος est omnis substantia subsistens, ac proinde substantia singularis ultimo completa sui juris effecta: subsistentia igitur cum substantia conjuncta constituit suppositum. Suppositum porro vel est rationis particeps, vel non: si hoc, dicitur absolute *suppositum*, ut *arbor*, *lapis*; si illud, vocatur *persona*; ac definitur a Boethio esse naturae rationalis individua substantia.

Coroll. 1. Suppositum consideratur a philosophis per modum concreti, cuius subjectum est substantia individua, forma generatim subsistentia, & speciatim in rationalibus personalitas, in ratione destitutis suppositalitas.

Coroll. 2. Inde intelligitur quoque illud apud philosophos usitatissimum: *actiones sunt suppositorum*; substantiae nimurum completæ, & sui juris effectæ actio imputari debet.

Lexic.
rat. W.
pers. subs.
suppos.

Schol. Exemplo ab homine petito rem totam illustrat Chauvinus: *sic homo, licet duabus rebus maxime differentibus, corpore scilicet, & spiritu constet; non tamen duplice constat aut supposito, aut persona, sed unica est persona. Non sane duplice constat aut supposito, aut persona; quia neutra hominis pars sui est juris, sive integrum agendi principium; quandoquidem corpus ab animo humano, ut animus humanus a corpore humano, quoad durat homo, pendet. At unica est persona, quia homo ex corpore, & spiritu constans ita sui juris est, sive integrum agendi Principium, ut non existat in alio tamquam perfectiori (quemadmodum pes Socratis existit in Socrate, aut gutta aquae existit in oceano), nec alio nisi divino praesidio indigeat, ut ad existendum, sic ad agendum. Sed querunt etiam, quid & qualis sit ille subsistendi modus: qua in re communior opinio est, esse eum pure negativum, ac proinde entis creati subsi-*

stentiam in sola negatione unionis perfectivæ cum alio ente consistere: hac quippe solum posita jam substanti creata redditur ultimo completa, sui juris, ac incommunicalis alteri tamquam supposito, necnon adæquatum suarum operationum principium.

C A P U T IV.

De Principiis, et Caussis.

CXXXVI. *Principium generatim omne illud dicitur, quod continet rationem alterius, hoc alterum principiatum audit; sic pondus est principium motus in horologio.*

Quid principium, & principiatum?

Coroll. 1. Principium, & principiatum connectuntur, hocque ab illo dependet (§. 60.).

Coroll. 2. Quidquid non agnoscit rationem sufficientem, nec habet principium, & quidquid rationem sufficientem postulat, principiatum est.

CXXXVII. Cum de principio agimus, consideramus vel illud, quod est principium, vel quatenus est principium: in priori casu materialiter, in altero formaliter spectari dicitur. Idem de principiato obtinet.

Quid principium materialiter & formaliter spectatum?

Schol. Per principium sine addito semper intelligam principium formaliter sumtum.

CXXXVIII. *Principium est prius principiato.* Id, quod nondum posito, alterum ponire nequit, est prius altero; sed nondum positó principio principiatum poní nequit: secus poneatur aliquid sine ratione sufficiente (§. 156.): ergo principium prius est principiato.

Principium prius est principiato,

CXXXIX. *Principium non est prius tempore principiato.* Ponamus principium esse prius tempore principiato: existet ergo aliquo temporis momento principium absque principiato; & quia principium non est, nisi quatenus habet principiatum, sive ut ajunt, quatenus principiat, simul non existet. Quare cum

non tam
men
tempore,

hoc repugnet, sequitur principium non esse tempore prius principiato.

Coroll. Si igitur sola temporis ratio habeatur, principium, & principiatum simul sunt.

Schol. Per se evidens est, non repugnare, ut principium materialiter spectatum sit prius tempore suo principiato; *sic pater, ut homo est, prius utique tempore existit, ac filius.*

sed natura.

CXL. *Principium est prius natura principiato.* Principium est prius principiato (§. 158.); sed non est prius tempore (§. præc.); ergo natura. Siquidem prius natura altero dicitur a philosophis, quod, licet tempore simul sit cum altero, ad illud tamen efficiendum per sese requiritur.

Schol. De hac naturæ prioritate nonnulla, quæ plus utilitatis habere videntur, ex philosophorum scriptis paullo post adnotabo.

Quotuplex principium?

CXLI. Principium continet rationem alterius (§. 156.): sed ratio est multiplex (§§. 18. 19.); ergo & principium. Est igitur principium sufficiens, vel insufficiens: illud rursus vel cognitionis, vel possibilitatis, vel actualitatis, internum denique, aut externum. Sic principium cognitionis est principium contradictionis; essentia est principium possibilitatis modorum (§. 57.), vel compositio divisibilitatis: Deus est principium actualitatis mundi.

Quid caussa & caussatum?

CXLII. Principium actualitatis nominatur *caussa*, ejus vero principiatum appellatur *caussatum*. Caussa igitur illud est, quod rationem existentiæ alterius continet, ex quo proinde intelligi debet, cur alterum vel absolute, vel saltem tale existat.

Coroll. Generatim adhuc de principio dicta cum proportione ad caussam applicandi sunt.

Quid caussæ materiae, & formale?

CXLIII. Caussa continet rationem existentiæ alterius (§. præc.): cogitari itaque ut potest subjectum, in quo ratio ea insit, sicque hæc ab il-

lo distingui. Cum subiectum solum spectamus, *materiale caussæ*, cum rationem eam contemplamur, *formale caussæ*, seu *caussalitatem* consideramus; *sic caussalitas in artifice sunt actiones mentis, quibus idem operis animo concipit, & externe, quibus idem construit.*

Schol. Cum ratio, cur aliquid vel absolute, vel tale existat, variis omnino modis in entibus quibusdam contineri possit, diversa inde constituunt caussarum genera philosophi; & imprimis quidem secundum quinque modos maxime generales statuunt caussas *efficientem, finalē, materiale, formale, & exemplarem.* Deinde, quia rursus in generalibus hisce modis specialiores discerni possunt, in quovis genere diverso caussarum ordines distinguunt. Denique omnes caussas, qualescumquæ eæ sint, quæ simul ad alicujus actualitatem concurrunt, *concaussas* vocant. Sunt igitur concaussæ vel diversi generis, *ut architectus, & materia edificii; vel ejusdem generis, quæ ulterius aut sunt in eodem ordine, ut duo equi currum trahentes; aut in diverso ordine, ut architectus, & opera.*

CXLIV. *Caussa efficiens* est, cuius caussalitas in actione consistit, sive quæ actione sua continet rationem sufficientem, cur aliquid existentiam obtineat; ejus caussatum *effectus* appellatur,

Coroll. 1. *Cum caussa efficiens agat, vi polleat, necesse est (§. 123.); quod autem vim habet substantia est (§. 133. cor.):* igitur omnis caussa efficiens substantia est.

Coroll. 2. *Quod agit, etiam potentia agendi gaudet (§. 130): igitur omnis caussa efficiens potentiam agendi habet, & ens, quod potentia agendi instrumentum est, fit caussa efficiens, cum eam potentiam exercet, si- ve agit. Inde*

Quæ
caussa-
rum di-
stributio?

Quid
caussa
efficiens
& effe-
ctus?

Quid e-
jus actus
primus,
& se-
cundus?

CXLV. *Caussa efficiens dupli modo con-*
siderari potest, vel ut actu agens, vel ut po-
tens agere: ut actu agens dicitur esse in actu
secundo, qui reapse est ipsa caussæ actio; sic
anima volens est in actu secundo. Ut potens
agere est in actu primo. Porro cum caussa est
in actu primo; vel habet jam omnia omnino
requisita ad actionem ponendam, vel non; si
illud: adest actus primus proximus, seu po-
tentia proxima: sic anima habens repræsen-
tationem boni est in actu primo proximo ad
illum volendum; si hoc: habetur solum actus
primus remotus, seu potentia remota, ut si
anima non cognoscat bonitatem objecti propo-
si, ignis non applicetur ad stupram.

Coroll. Actus igitur primus proximus per col-
lectionem omnium requisitorum, quæ ad
actum ponendum absolute necessaria sunt,
constituitur.

Quid
requisi-
ta, &
quotu-
plicia?

Schol. 1. Inde requisita hæc vulgo constituti-
va actus primi proximi dicuntur, & natura
præcedunt actum secundum. Sunt vero ea
duplicis generis: nimirum vel *comprincipia*,
aut *caussæ sociæ*, seu *auxiliares*, quæ si-
mul efficiunt caussæ sufficientiam, viresque
illius deficientes supplent; sic milites belli
ducem in fundendo hoste, socii Cajum in
elevando pondere juvant; vel *conditiones*,
sine quibus caussa ceteroquin sufficiens ef-
fectum tamen præstare nequit. Atque ha-
rum rursus aliæ sunt *positivæ*, ut *cognitio*
bonitatis in objecto ad illud volendum; *præ-*
sentia hostis ad cædendum; *conveniens i-*
gnis applicatio ad materiam comburendam:
aliæ *negativæ*, quæ universim consistunt in
remotione omnium impedimentorum, quæ
quoquomodo actionem vel ex toto, vel ex
parte impedire possent. Ex his porro lucu-
lenter patet discrimen inter *comprincipium*,
& *conditionem*; illi enim vis, aut saltem
agendi *potentia aliqua competit*, huic nul-

la: quare permodica solum attentione opus est, ut dignoscatur, utrum requisitum obvium inter comprincipia, utrum inter conditiones reponendum sit.

Schol. 2. Dixi, requisita actus primi proximi natura præcedere actum secundum; ut hoc rite intelligatur, necesse est, ut philosophorum doctrinam de prioritate naturæ paucis exponam, quemadmodum superius (§. 150. sch.) promiseram. *Natura* igitur prius esse dicitur, quod ut aliunde existens complet actum primum proximum caussæ, eamque proxime ad agendum expeditam reddit. Inde vero intelligitur 1.) quodvis constitutivum actus primi proximi, seu comprincipium, seu pura sit conditio, esse natura prius actu secundo: 2.) quod natura prius est altero, non posse sub ea ratione ab altero pendere, quamvis sub alio respectu possit: sic dum valetudinis caussa ambulo, pendet ea quidem ab ambulatione, ut effetus, est tamen simul natura prior ut in mente existens, sic enim fit caussa finalis ut dicemus; 3.) prioritatem naturæ non obstat, quo minus ea, quorum unum prius, alterum posterius est, uno individuo momento simul existant.

Quia vero plura eodem temporis momento existere possunt, inter quæ nulla relatio prioritatis, aut posterioritatis intercedit, excogitarunt philosophi *signa*, ut ajunt, *naturæ*, seu *rationis*, ut breviter, ordinate tamen, de ejusmodi rebus disserere possint. In quovis nimirum individuo momento concipiunt duo *signa*, per quæ non partes reales momenti ipsius, utpote quæ nullæ sunt, sed ordinem, & mutuam rerum eo momento existentium relationem denotant. Inde in signo *naturæ* priori, dicunt existere actum primum proximum, & singula ejus requisita; in signo vero *naturæ* posteriori actum

secundum, & quæ ex iis fluunt; illa autem, quæ tametsi simul existant, nullam tamen ad sese relationem habent, in *signis naturæ disparatis* ponunt. Quod si plura, & diversa ab eodem actu primo proximo procedant, in *eodem naturæ signo* existunt, & *effectus simultanei* audiant. Ex his porro sequitur: 1.) potest aliquid cum altero simul reapse existere, nec tamen esse in signo priori, aut posteriori, unde si quidpiam negetur esse in signo priori, vel posteriori, non continuo negatur eo momento existere; 2.) ex eo, quod res quæpiam non sit in signo priori respectu alterius, nequam concludendum est, ejus rei negationem esse in eodem signo priori; si enim, quod fieri potest, nec res ipsa, nec ejus negotio constitutat actum primum proximum, neutrum altero natura prius erit; certe nihil est in priore signo ad seipsum, an propterea negotio illius erit natura prior? Quod si hoc fieri posset, essent duo contradictoria in eodem momento reali, unumque alterius caussa. Sed satis de his.

Quæ
caussa
libera &
necessa-
ria?

CXLVI. Caussa efficiens libera est, quæ habitis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere, *ut anima nostra in volendo: necessaria vero, quæ habitis omnibus ad agendum requisitis actionem omittere amplius nequit; ut ignis ad stupram applicatus.*

Coroll. 1. Actus primus proximus caussæ liberæ est de se indifferens ad actum secundum, potestque absolute spectatus conjungi vel cum actu, vel cum omissione actus.

Coroll. 2. Si ergo actus primus proximus necessario connectatur cum actu secundo, caussa est necessaria; proinde si caussa debet esse libera, nullum constitutivum necessario connexum cum actu secundo ejus actum primum proximum ingredi potest.

Schol. Non ignoro notionem caussæ liberæ a me constitutam a multis in controversiam vocari; verum quod hoc loco asserui, gravissimis argumentis in psychologia demonstratum ibo.

CXLVII. Caussa efficiens dicitur *principalis*, quæ propria sua vi agit, estque vel *prima*, seu *princeps*, quæ, quod vim a se habeat, nullo prorsus pacto ab alia pendet, qualis est solus Deus, vel *secunda*, aut *secundaria*, quæ vim a prima participat, propter eaque in agendo ab ea pendet, qualia sunt entia creata. *Instrumentalis* vero vocatur, quæ vi aliena, caussæ nimirum *principalis* agit, effectumque producit.

Coroll. 1. Caussa *principalis* tam potentia, quam vi agendi pollet; *instrumentalis* contra, etsi potentia agendi prædita sit, vi destituitur: quare illius potentia per vim caussæ *principalis* ad actum determinari debet.

Coroll. 2. Cum actio pendeat a vi (§. 131.), ubi unica vis est, ibi pariter unica est *actio*: quare unica est actio caussæ *principalis*, & *instrumentalis*; constituunt proinde simul unam caussam, & effectus tribuitur *principalis*, quæ instrumento usa est.

Coroll. 3. Quia tamen talis effectus sine instrumento non ponetur, ratio cur *talis* effectus existat, ab instrumento petenda est: instrumentum igitur modificando actionem caussæ *principalis* ad effectum concurrit, ideoque vero sensu nomen caussæ meretur (§. 142.).

Schol. 1.) Fit nonnumquam, ut ens propria quidem vi præditum instrumenti tamen vi- cies agat, tum vero *caussa administra*, a nonnullis *instrumentum vivum* appellatur. Id evenit, cum ens vim suam ad nutum, & directionem alterius exercere cogitur: ita equus in exercenda sua vi a nutu equitis,

Quid
caussa
principali-
lis, &
instru-
menta-
lis?

Quid
caussa
admini-
stra,

miles ab imperio belli ducis pendet, quare etiam una censetur esse actio equi, & equitis, militum, ac ducis. Cæterum in constituta caussæ instrumentalis notione per vulgatum philosophorum morem secutus sum, neque hoc loco definio, utrum revera extet: verisimile istud non esse in sequentibus, ac præcipue in cosmologia apparebit.

& occa- *Schol. 2. Addunt his nonnulli caussas occasio-*
nales, quæ nec vim, potentia agendi, sal-
tem comparet ad eum effectum, ad quem
referuntur, continent: sed solum occasio-
nem præbent alicui caussæ principali, ut
actionem quampiam ponat; quomodo Josue
dici potest pronunciando ea verba; sta sol,
occasione præbuisse, ut Deus ipse solis
cursum sisteret. Sed facile patet nomen
caussæ ipsis sensu proprio nequaquam com-
petere; sunt tamen, quod mireris, philosopho-
rum aliqui, qui omnes generatim caussas
secundas, seu creatas ad occasionales refe-
runt, solamque primam, sive Deum vero
sensu agere propugnant.

Quod *Cartesianorum hæc est opinatio, docent quip-*
pe nihil in rerum natura ab entibus creatis
vere effici, sed occasionem solum ab ipsis
subministrari, quibus positis Deus secundum
leges generales a se constitutas ipse omnia,
& solus operetur; ita, ajunt, non anima
suum, quocum conjungitur, corpus, non
globus incurrens alium sibi obstantem mo-
vet; sed anima volendo, globus incurrendo
occasionem præbent caussæ primæ, ut ipsa
sola secundum statas leges & in corpore,
& in globo motum producat. Utrum hi a
duce suo Cartesio hanc opinionem acceper-
int, dubitari merito potest: nusquam certe
in ipsius scriptis ea clare reperitur; quin,
dum illi ideo rebus creatis veram efficien-
tiam admittunt, quod vis movendi corpora,
ipsorum opinione infinita, in solum Deum

cadat, ipse contrarium asseruit in epistola ad Henricum Morum, ita scribens: *Vis autem movens potest esse ipsius Dei conservantis tantundem translationis in materia, quantum a primo creationis momento in ea posuit, vel etiam substantiae creatae, ut mentis nostrae, vel cuiusvis alterius rei, cui vim dederit corpus movendi.* Verius hæc sententia Malebranchio (a) tribuitur, qui in ea exornanda eo processit, ut animam nostram adempta omni agendi vi, & libertate expoliaverit, & quovis stipite inertiores effecerit; quamquam alias (b) secum minime consentiens liberas volitiones rursus animæ tribuerit. Paucos hac in re, non tamen nullos nauctus est sectatores: certe ea quæ recentissime D. Diderot (c) de forma constitutiva hominis moralis protulit, non longe ab his erroribus distare videtur. Sed de his alias viderimus: nunc ii solum ex Cartesiana familia impugnandi veniunt, qui ea utuntur moderatione, ut relicta in spiritibus volendi, judicandique vi vere activa reliquos effectus, qui in hoc mundo eveniunt, quique motione quadam indigent, a solo Deo velut caussa unica, & immediata provenire docent.

CXLVIII. *Longe probabilissimum est causas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, & non solum occasionales.* Illud certe longe probabilissimum est quod communium non modo philosophorum, sed aliorum quoque hominum persuasione nititur, nec ab ea nisi fortioribus rationibus in contrariam partem adductis, ex legum criticarum præscripto recedendum est; sed caussas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, & non solum occasionales opinio est, quæ communi omnium non modo philosophorum, sed aliorum quoque hominum persuasiōni nititur, neque in contrariam partem fortiores

(a) *La recherche de la vérité 1.*
6. p. 2.
ch. 3.

(b) *Eclaircissement sur le ch. 3. p. 2. livr. 6.*
réponse à la 6.
preuve.

(c) *Encyclopédie art. évidences.*

adhuc rationes allatæ sunt: ergo longe probabilissimum est caussas creatas esse effectuum suorum vere effectrices, & non solum occasio- nales.

Schol. 1. Profecto assumtæ propositionis veritas nemini obscura esse potest, modo ad communia omnium hominum judicia animum advertat: quis enim unquam, solis fortasse Cartesianis exceptis, si tamen serio agant, dubitavit, homines, cum ambulant, opus quoddam faciunt, ædificium extruunt: Equos, cum currum trahunt; canes, cum lupum a grege pellunt, vere, ac proprie agere? qui negat artificem sui esse artefacti caussam revera efficientem? an dum opus cujuspam laude, ac præmio dignum pronunciamus, solum illius bonam voluntatem respicimus? an ideo alicujus fortitudinem, continentiam, & quæ similia sunt, extollimus, quia is cupit esse fortis, continens? & nonne denique omne vulnus homini inflictum lapidi ex alto decidenti murorum ruinam globo ex tormento ejecto: motum corporis alteri majori celeritate incurrenti concordi prorsus judicio tribuimus? ut adeo de communi omnium hominum persuasione nullum queat dubium superesse. Sed nec, quæ in contrariam partem adferuntur, multum habent ponderis.

Respon. **Schol. 2.** Ajunt 1.) Deus omnia agit: ergo caussæ creatæ vere, ac proprie non agunt. **Ant. p.** Deus est caussa perfectissima: ergo omnia, & quidem solus agit: secus plane sequeretur Deum cum creaturis quasi cum caassis sociis agere, quod infinitæ Dei perfectioni repugnare videtur.

R. d. ant. Deus omnia agit, ut *caussa prima-*
ria, c. ant. ut caussa unica n. ant. Ad
prob. rursus d. ant. Deus est caussa perfe-
ctissima hoc sensu: quod ipse & vi non a-
liunde accepta, & modo infinite excellen-

detur
objectis.

tiori agat, quam res creatæ, e. ant. hoc sensu: quod ipse solus omnem vim agendi habeat, & nullum prorsus res creatæ, n. ant. & con. Id ipsum est, quod volumus. Deum nempe esse caussam quidem primariam omnium effectuum, cum ipse in agendo a nullo pendeat, & omnibus creatis vim agendi tribuerit, ac ad eorum actiones concurrat: non tamen caussam esse unicam, quasi ipse solus per sese omnia efficeret. Neque vero id divinis perfectionibus quidpiam officit: si enim rebus creatis potuit communicari existentia, spiritibus quoque vis volendi, cur non & vis activa iisdem communicari, salva Dei perfectione, possit? Deinde Deus non eo titulo caussa est perfectissima, quod solus omnia efficiat; immo hoc nec fieri posse videtur, cum perfectissimam esse caussam dicat relationem ad caussas minus perfectas, sed tamen veras, quæ superari possint; igitur eam ob rationem solum Deus caussa perfectissima dici debet, quod nec in vi, nec in actione ab ullo pendeat, quodque illius agendi modus infinite excellētior sit, ac cuiusvis rei creatæ. Similiter id, quod additur, distinctione dissolvendum est; nimirum Deus agit cum creaturis velut cum caassis sociis, quas ex libera sua bonitate in consortium agendi assumptis, non autem, ut ab iis in operando adjuvetur. Neque dicas: perfectius est posse agere sine caassis sociis quocumque titulo assumptis: igitur etiam perfectius erit actu agere sine caassis sociis quocumque titulo assumptis. R. c. ant. n. cons. In priori enim casu arguitur imbecillitas vitium, non vero in altero. Non ergo ex nostra sententia in Deum imperfectio redundat; non enim dicimus Deum cum caassis creatis agere ob aliquam virium inopiam, aut ab iis saltem ad facilius operandum juvari;

sed asserimus Deum ex infinita, & liberissima sua bonitate res creatas, sicut in consortium existendi, ita & in consortium agendi assumisse, illisque cum existentia vim quoque agendi contulisse, quo fieret, ut in sua potestate haberet entia vere activa, sibique efficienter servientia, qua res perfectiones suas longe magis manifestavit. Ceterum argumenta hæc nihil prorsus probare vel ex eo patet, quod iis quoque vis volendi animæ a Cartesianis admissa impugnaretur; quare in ipsos semper retorque-ri possunt.

2. Vis agendi vel est, vel saltem includit movendi corpora, sed vis movendi corpora est infinita, ideoque entibus creatis competere nequit; ergo *m. p.* movere corpus nihil est aliud, quam illud conservare in diversis successive locis: hoc ipso enim, quod corpus moveatur, etiam conservatur in diversis successive locis; sed vis conservandi corpus in diversis successive locis est omnino infinita: ergo vis movendi corpora est infinita.

R. c. M. n. m. Ad prob. *n. M.* A vero omnino abhorret id, quod Purchotius cum reliquis Cartesianis sine probatione ut verum sumit; nam conservatio corporis habetur per decretum voluntatis, quia ipsum Deus in rerum natura existere vult, quamdiu sibi placuerit: movere autem corpus est illud jam conservatum ad diversa successive loca occupanda determinare. Unde rationem adjectam *d.* hoc ipso quod corpus moveatur, etiam conservatur in diversis successive locis per eamdem actionem, qua moveatur, n. per actionem distinctam, c. Licet ad hoc, ut corpus successive de loco in locum transeat, necesse sit, ut illud pluribus temporis momentis existat, atque adeo in rerum natura conservetur, non tamen requiritur,

ut utrumque per eamdem actionem fiat. Conservatio nimirum corporis provenit a decreto, quo Deus vult hoc corpus potius perseverare in rerum natura, quam peri- re; translatio vero ejusdem corporis jam ad perseverandum in rerum natura, vi illius decreti, determinati habetur per actualem motionem, quæ etiam a causa creata profici sci potest. Motio igitur non est ipsa corporis conservatio, sed eam solum ante exigit, ac proinde etiam non postulat vim infinitam.

3.) His non contenti ulterius argumentum continuant: si Deus vult aliquod corpus conservare in diversis successive locis, vult etiam hoc ipso, ut illud moveatur: ergo per eamdem actionem corpus conservatur, qua movetur. Addunt, si ens creatum posset movere corpus, quod a Deo debet conservari, tum ens creatum posset Deum determinare ad illud conservandum: sed hoc videtur dici non posse; ergo ens creatum nullo pacto corpus movere potest. Deinde, ajunt, si Deus velit aliquod corpus conservari in diversis successive locis, seu jam per eamdem, seu per diversam actionem; itemque, seu id ut unicum, seu duplicem effectum respiciat, jam consequens est, ut illud corpus moveatur positis iis conditionibus: igitur res creatæ nihil ad motum corporum conferre possunt, nisi ut sint conditiones.

R. d. ant. si Deus vult &c. istudque vult ut dupl icem effectum realiter distinctum, c. ant. istudque vult ut unicum effectum, n. ant. & con. Conservare corpus in diversis successive locis, tametsi in Deo fieri possit per unicum voluntatis decretum, duos tamen effectus reapse diversos indicat; nimirum ut corpus & in rerum natura perseveret, & sic perseverans successive in alia, & alia Storchenau Metaph. Lib. I. 6

loca transfratur : illud velle est corpus *tantum* conservare ; hoc velle est illud *etiam* movere. Cum igitur Deus vult, ut velle potest, corpus quoddam in diversis successive locis conservare, non unum, aut alterum, sed utrumque simul vult ; eadem videlicet voluntate, non quidem realiter, sed tamen ratione nostra distincta, vult duos effectus realiter diversos, neque hoc ipso tamen conservat corpus in diversis successive locis, quod illud moveat, aut vicissim ; sed conservat per actionem formaliter diversam, & prærequisitam ad hoc, ut corpus moveri posset. Nequaquam igitur in se idem est movere corpus, & illud in diversis successive locis conservare, licet Deus utrumque per simplicissimum voluntatis suæ actum efficere possit : sed neque Deus id ordinarie præstare solet ; nam stante hoc naturæ cursu vult Deus corpus tantummodo conservare : ejus vero translationem de loco in locum committit caussis creatis, quas hac vi, sicut aliis quoque longe nobilioribus proprietatibus, ex infinita sua bonitate exornavit. Quantum ad id, quod adjicitur, pertinet, entia creata nequeunt corpus movere *absolute* & *antecedenter* ad decretum Dei conservativum, sed *conditionate* duntaxat, & *consequenter* ad hoc ipsum decretum ; corpus enim moveri non potest, nisi quod per plura temporis momenta existit, adeoque conservatur. Ut igitur caussa creata possit corpus movere, nequaquam necesse est, ut ipsa Deum determinet ad corpus illud conservandum, sed solum in Deo hanc voluntatem prærequirit. Ultimo denique verissimum quidem est, quod in antecedente asseritur ; sed nimirum sub iis ipsis conditionibus continentur actiones caussarum creatarum : ubi enim Deus caussis creatis vim agendi contulit, non vult secundum commu-

nes naturæ leges sub alia conditione conservare aliquod corpus in diversis successive locis, nisi sub hac, ut illud ab iis moveatur.

4) Spiritus in suo conceptu non includit facultatem corporum motricem: igitur corpus movere non potest. Quod si eo non obstante tamen putes posse a spiritu corpus moveri, deberet id volendo effici; istud autem prorsus intelligi nequit, cum inter volitionem spiritus, & motionem corporis nulla appareat connexio.

R. Spiritus in suo conceptu *inadæquato* non includit facultatem movendi corpora, c. ant. in suo conceptu *adæquato*, n. ant. & cons. Omnis definitio rerum essentialis dici potest conceptus *inadæquatus*, comparate nimirum ad reliquas earum proprietates, quæ in illa non enumerantur; unde patet conceptum *adæquatum* fore eam rerum descriptionem, in qua omnes earumdem proprietates clare exprimerentur, qualis aut numquam, aut certo rarissime haberi potest. Jam vero certum est plures rebus competere proprietates *præter* eas, quæ in definitione essentiali adducuntur, quo efficitur, ut jure concludi nequeat proprietatem quamdam in rem non convenire, propterea quod ea in conceptu illius *inadæquato* aperite non contineatur. Cum igitur quæritur quæ *præter* proprietates *essentiales* in definitione ponendas rei cuidam competant; aliæ rationes in subsidium vocandæ sunt; atque sic ex communi omnium hominum persuasione probabilissime judicamus inter alias spiritus proprietates etiam facultatem corporum motricem habere locum, tametsi ille per ens vi cogitandi, vel ut alii volunt, intellectu, & voluntate instructus definiatur. Confidenter igitur asserimus, in conceptu *adæquato* spiritus, si is formari posset, probabilissi-

me etiam facultatem movendi corpora reponendam esse. Cum autem ajo a spiritu posse corpus moveri, non intelligo id effici posse per ipsum voluntatis actum, sed per facultatem loco-motivam, quam spiritus ad nutum, & voluntatem suam exercet; sicut nempe spiritui tribuimus facultatem intelligendi, volendi &c., ita probabilissime etiam tribuenda est facultas movendi corpora, quam, cum vult, exercet, cumque exerceat, actu corpus movet. Ex his porro patet, quæ sit connexio inter volitionem spiritus, & motionem corporis; non est ea quidem *immediata*, quia motio hæc non ab ipsa volitione efficitur, sed *mediata*, quia ad volitionem facultas loco-motiva exerceatur, motusque corporis efficitur: unde motio corporis mediante facultatis loco-motivæ exercitio cum voluntate connectitur, quod sufficit. Sed quærunt, qui fieri possit, ut spiritus, qui natura sua penetrabilis est, corpus movere queat, cum tamen non videatur corpus posse movere alterum, nisi utrumque foret naturaliter impenetrabile: verum prona est solutio: corpus ab eadem vi habet, quod & impenetrabile sit, & alterum ad motum determinare possit, a viminirum repulsiva, ut physici hodie docent: contra fieri potest, ut spiritus possit determinare corpus ad motum, etiam tum, quando cum illo compenetratum est; certe in tali facultate generatim accepta nulla ostendi potest repugnantia: secus enim nec Deus, qui omnia intime penetrat, per suam omnipotentiam corpora movere posset, neque ulla est ratio, cur id ipsum non etiam finitæ potentiaz competere queat. Deinde id genus potentia est naturæ spirituum prorsus congrua, ut adeo eadem ratione, qua probatur in spiritibus inesse vis vere agendi, & movendi corpora, simul probetur hanc

vim ejus esse naturæ, ut non obstante naturali spiritus penetrabilitate in corpora exerceri possit. Ceterum non inferior modum, quo determinate spiritus corpus moveat, nobis ignotum esse; id tamen assertioni nequam obest: plurima sunt, quæ *quoad substantiam nota quoad modum ignorantur*; scimus animam cum corpore uniri, eamdem pollere vi judicandi, volendi; mundum ex nihilo esse conditum, & plura similia; at in quo ea unio consistat, quo modo anima vim volendi, & judicandi exerceat, quo modo aliquid ex nihilo prodire possit, nemo unus est, qui divinare sciatur. In ejusmodi rebus tenendum est illud S. Augustini effatum: *numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?*

CXLIX. Rursus caussa efficiens vel *physica* est, vel *moralis*: illa actione propria effectum producit, ut *artifex statuam*: hæc alieno ministerio ad effectum ponendum utitur, ita tamen, ut ei in genere morum, seu, ut adjunct, in estimatione morali effectus tribuatur, *ut Caius mandans famulo, ut Titium occidat*. Item caussa *per se*: quæ id agit, quod vel animo designavit, vel cui efficiendo natura sua destinatur, *ut Caius consulto occidens Titium*. Caussa *per accidens*: cum effectus praeter animi intentionem, aut naturæ destinationem sequitur, *ut cum quis feræ loco homine inopinate cedit*.

Schol. Modi, quibus quis caussa moralis efficitur, præcipui sunt mandare, consulere, ratum habere, laudare, approbare, non impedire, cum quis possit, & debeat: hæc ad philosophiam moralem pertinent.

CL. Fieri potest, ut plures caussæ efficienes ad ejusdem effectus productionem concurrant; tum vero vel una ab altera penderet, vel non: si hoc, dicuntur *coordinatae*, & nomi-

Quid
caussa
physica,
moralis,
per se, &
per acci-
dens?

Quid
caussæ
*coordi-
natae*, &
subordi-
natæ.

natum sociæ, vel auxiliares, si a singulis pars effectus procedat; si illud: *subordinatæ*, & quidem vel *accidentaliter*, cum solum materialiter, & quoad existentiam spectatæ; vel *essentialiter*, cum formaliter, & quoad actionem consideratæ a se pendet. Plures caussæ subordinatæ constituunt *seriem caussarum* con-nexam, in qua illa caussa principalis (*instrumentalis* enim non tollit continuitatem effectus cum caussa), a qua proxime effectus proficiscuntur, *proxima*, seu *immediata*; reliquæ *remotæ*, sive *mediatæ*; illa denique, quæ nulli amplius subordinatur, *prima* com-pellatur.

Coroll. 1. In serie caussarum essentialiter subordinatarum actio caussæ proxime pen-det ab actione caussæ remotæ, & hujus actio rursus ab actione remotioris, & sic porro regrediendo usque ad caussam ea in serie primam: quare cum effectus pendeat ab actione caussæ proximæ, patet eum quoque pendere ab actionibus omnium mediatarum, & ipsius primæ.

Coroll. 2. Inde vero ulterius perspicuum sit in serie caussarum subordinatarum, in qua non esset caussa prima, nullam fore causam plene, & adæquate sufficientem effec-tus ultimi.

Coroll. 3. Cum in serie caussarum accidentaliter subordinatarum caussa proxima solum quoad existentiam, non vero quoad actionem ab alia remota pendet, nulla remota-rum continet rationem, cur proxima agat, ac proinde neque rationem, cur effectus existat: igitur ejus caussæ dici vero sensu nequeunt (§. 142.).

Schol. Atque inde patet, quid sibi velint hæc philosophorum axiomata: *caussa caussæ est etiam caussa caussati*: *efficiens efficientis est etiam efficiens effectus*: nempe vera sunt, si caussæ sunt essentialiter subordina-

tæ, non item, si accidentaliter, sic avus non efficitur reus culpæ a nepote admissæ.

CLI. Si detur series caussarum essentialiter, aut accidentaliter subordinatarum, potest in ea quantitas, sive magnitudo concipi (§. 68.); cum porro omnis quantitas finita sit vel infinita (§. 69.), erit quoque series caussarum subordinatarum aut finita, aut infinita: illa terminos habet, hæc non. *Progressus in infinitum* dicitur series caussarum subordinatarum absque caussa prima; cum nimirum regrediendo a caussa quadam determinata numquam perveniri potest ad ultimam in eadem serie.

Schol. Duplicem singunt id genus progressum; *circularem*, cum ad terminum, a quo inchoatur progressio, iterum reditur, ut si dicas gallinam ex ovo, & ovum ex gallina esse: *rectilineum* deinde, cum numquam ad eumdem terminum reditur, ut si ab homine quocumque ad ejus parentem, tum ad avum, & sic ulterius sine fine progrediari. Quæ contra hunc progressum pugnant, in cosmologia, cum de origine mundi agam, uberius persequar.

CLII. *Nihil potest esse caussa efficiens* Nihil se ipsum produce-re potest. *sui ipsius.* Dum aliquid est caussa efficiens, agit (§. 144.), & quod agit, jam existit: igitur dum aliquid est caussa efficiens, jam existit. Item, dum caussa efficiens agit, producit effectum: igitur eo momento, vel signo, quo caussa efficiens agit, incipit effectus existere, nec antea existit. Pone jam aliquid esse sui ipsius caussam efficientem, atque adeo sui simul ipsius effectum: incipiet igitur existere, dum jam existit, & momento, vel signo antecedente existet simul, & non existet: quod cum absurdum sit, sequitur nihil posse esse caussam efficientem sui ipsius.

CLIII. *Nequeunt duo entia tibi mutuo esse caussæ efficientes.* Sit primo ens a caussa ef-

nec duo entia se mutuo,

ficiens entis *b*: igitur dum ens *a* jam existit, ens *b* primum existere incipit, ac proinde ens *a* prius existit, quam ens *b*. Sit deinde ens *b* caussa efficiens entis *a*; igitur rursus dum ens *b* jam existit, ens *a* primum existere incipit, ac proinde ens *b* prius existit, quam ens *a*: ergo posita hac hypothesi ens *a* prius, & posterius existit ante *b*, & ens *b* pariter prius, & posterius existit ante *a*; sed hæc omnino absurdum sunt: ergo duo entia sibi mutuo caussæ efficientes esse nequeunt.

Ens necessarium non habet causam efficientem;

Habet autem omne ens contingens?

CLIV. *Ens necessarium non habet causam efficientem.* Quod habet caussam efficientem, illud ab ea quoad existentiam pendet (§§. 143. 146. cor. 1.); sed ens necessarium quoad existentiam a nullo pendet (§. 104.): ergo ens necessarium non habet caussam efficientem.

Coroll. Ergo etiam quod habet caussam efficientem, non est ens necessarium.

CLV. *Omne ens contingens habet caussam efficientem.* Omne ens contingens quoad existentiam ab alio pendet (§. 107.): ergo illud aliud efficit, ut ens contingens existat, atque adeo etiam, ut ens contingens ad existentiam perveniat; quare, cum efficere, ut aliquid ad existentiam perveniat, sit agere (§. 126.), illud alterum agit, & actione sua actionem continet, ut ens contingens existentiam obtineat; sed id est esse caussam efficientem (§. 144.): ergo illud est caussa efficiens, ac ens contingens effectus, id est omne ens contingens habet caussam efficientem.

Coroll. Cum existentia entis contingentis pendeat ab ente necessario (§. 108.), quidem existente (§. 109.), evidens est ipsum ens necessarium esse caussam efficientem entis contingentis: atque inde nova rursus ratione patet existere ens necessarium, si existat ens contingens (conf. §. cit. cor.).

CLVI. *Omne ens existens, quod habet causam efficientem, est ens contingens.* Ens ex-

Et omne ens, quod habet

stens, quod habet caussam efficientem, non est ens necessarium (§. 154. coroll.): quare cum omne ens existens vel necessarium sit, vel contingens (§. 104. coroll. 1.), ens existens, quod habet caussam efficientem, est ens contingens.

CLVII. *Nequit plus esse in effectu, quam sit in caussa.* Sit aliquid in effectu, quod non est in caussa: illud vel pendebit a caussa, vel non; si primum: jam eatenus est in caussa, quatenus hæc ejus rationem sufficientem continet: si alterum: tum illud vel est a seipso, vel ab alia quapiam caussa: non illud (§. 157.): ergo istud; quodsi vero ita, tum effectus quoad hoc ad aliam caussam referri debet, sicque non erit plus in effectu, ac sit in caussa: igitur generatim nequit plus esse in effectu, quam sit in caussa.

Schol. Patet inde sensus axiomatis: *nemo dat, quod non habet*; ita nullum posset esse ens intelligens in mundo, si prima caussa, a qua omnia pendent, intelligentia non polleret. De reliquo non est necesse, ut effectus formaliter sit in caussa, sed satis omnino est, ut contineatur *eminenter*. Dicitur nempe *formaliter* inesse alteri, quod ita inest, ut est in se, ita nigrities atramenti chartæ illita formaliter est in atramento, quemadmodum postea in charta appareat; cuius vero tota existendi sufficientia in altero continetur, illud *eminenter* inest. Est & alias horum vocabulorum sensus: qua de re infra dicam. Et hæc de caussa efficiente; nunc ad finalem progre diamur.

CLVIII. *Finis* est id, propter quod caussa Quid finis, & efficiens agit; seu quod per actionem suam obtinere cupit; sic *victoria pugnantium*, eruditio studentium finis est. Est vero vel proximus, qui nullo alio interposito, vel remotus, qui alio, vel aliis interpositis; vel ultimus, qui denique ultimo ab agente intenditur,

atque ad quem omnes medii, qui eam ob rem
subordinati audiunt, referuntur; *sic emo li-
brum, ut mihi doctrinam comparem, doctri-
nam quæro, ut reipublicæ serviam, istud
ad gloriam Dei propagandam dirigo.* Alius i-
tem finis est *principalis*, seu *primarius*, qui
in *consortione* aliorum ita intenditur, ut ta-
metsi omnes reliqui abessent, *actio* tamen
propter eumdem poneretur; *alius minus prin-
cipalis*, sive *secundarius*, quo solo præsente
caussa non ageret; *ita uterque finis concur-
rit, cum valetudinis conservandæ, & amici-
visendi caussa deambulamus.*

*Finis est
caussa,*

CLIX. *Finis vero sensu caussa dici pot-
est.* Cum finis sit id, propter quod caussa
efficiens agit (*§. præc.*), finis continet aliquam
rationem, cur effectus existat; sed id, quod
aliquam rationem continet, cur effectus exi-
stat, vero sensu caussa dici potest (*§. 142.*):
ergo finis vero sensu caussa dici potest; in-
de Seneca: *an non putas inter caussa facti
operis numerandum, quo remoto factum non
esset?*

*& mo-
vendo
agit.*

CLX. *Caussalitas caussæ finalis in mo-
vendo, seu alliciendo consistit.* Cum finis sit
illud, quod caussa efficiens obtinere cupit
(*§. 158.*), nihil vero cupiamus, nisi quod no-
bis bonum videtur, quod in psychologia doce-
bimus, caussa finalis eatenus solum rationem
effectus continet, quatenus bonitate repræ-
sentata nos ad eum ponendum allicit; sed
in hac ratione caussalitas consistit (*§. 145.*):
ergo caussalitas caussæ finalis in alliciendo
consistit.

Coroll. 1. Finis est semper consecutio boni
cujuspam vel veri, vel saltem apparentis,
quæ per actionem superatur.

Coroll. 2. Caussa finalis non agit, prout reali-
ter existit, sed prout a caussa efficiente co-
gnoscitur, & appetitur: sufficit ergo exi-
stentia illius idealis, seu logica.

Coroll. 5. *Caussa* igitur, quæ propter finem agat, cognoscendi facultate polleat, necesse est, secus enim moveri, & allici haud poterit. *Inde etiam ignoti nulla cupidio.*

Schol. Id, ex quo motiva ad agendum sumuntur, *caussa impulsiva* dicitur, accurate a finali discernenda. *Discriimen* in eo ponitur: finis movet sua bonitate: quæ in ipsius consecutione apparet, & quidem ad hoc, ut efficiatur; *caussa* vero impulsiva nec bonitate sua, nec ad id, ut efficiatur, movet, sed alioquin existens efficit, ut major in fine bonitas reluceat, utque propterea *caussa* efficiens magis propendat ad actionem, qua finis existens fiat.

CLXI. *Fieri potest, ut idem sit caussa finalis simul & effectus.* Fieri certe potest, ut *caussa* efficiens duntaxat propterea agat, ut effectum consequatur; sed hoc casu finis est simul effectus: ergo fieri potest, ut idem sit *caussa* finalis simul, et effectus.

Schol. Si qua hic videtur repugnantia adesse, ea omnis diversitate statuum tollitur; finis enim in statu ideali, quatenus nempe intelligentia *caussæ* efficientis comprehenditur, *caussa* est, effectus vero, quatenus in statu actuali constituitur. Unde, tametsi sit prior, & posterior semetipso, quia tamen id pro diverso statu contingit, nihil absurdum sequitur: ita sanitas ut intellectu apprehensa est finis utens medicamentis, & eadem sanitas in statu reali est ejusdem effectus. Quare non est, quod moremur Spinozam inscite pronunciantem: *Omnes causas finales nihil nisi humana esse figmenta:* Eth. p. 1. *hanc de fine doctrinam naturam omnem revertere;* nam id, quod revera *caussa* est, ut effectum considerat, & contra: deinde id, quod *natura* prius est, facit posterius: aut eum, qui recentius eadem recoxit. Neque vero etiam Cartesius universim contra eos,

*Finis
potest es-
se simul
effectus.*

*append.
ad prop.
36.*

qui finem creatorum entium investigant, recte statuit: *nullum nos posse cognoscere finem Dei in creatione naturarum corporearum, nisi Deus ipse eum revelaverit.* Errarunt procul dubio illi ex philosophis, qui in finem Dei non ex operibus inquisiverunt, sed ex hypothesi cuiusdam finis temere assumta ipsam operis constitutionem deducere voluerunt: ut cum, solem stellasque tam errantes, quam inerrantes propter tellurem, quam incolimus, conditas statuerunt, indeque concluserunt, ea omnia circa tellurem tamquam suum centrum circumagi. Verum nullum generatim Dei finem a nobis cognosci posse, prorsus a vero abhorret; cum enim Deus infinita polleat intelligentia, cumque præterea talia ab eo condita videamus, quæ & ad determinatos effectus edendos aptissima sunt, & eos naturæ quoque ordinatione necessario efficiunt, dubitare haud possumus eosdem reapse esse fines entibus illis a supremo suo conditore constitutos. Ita oculi summa arte constructi sunt, partesque eorum etiam minutissimæ eo tendunt, ut imagines objectorum distincte depingantur; quis igitur dubitet hunc usum tamquam finem, intentum fuisse a Deo, dum ipse corpus humanum oculis instruxit?

Quid &
quotu-
plex me-
dium?

CLXII. *Medium* dicitur omne id, quod aliquam in se rationem continet, ut finis existentiam consequatur, estque vel *necessarium*, vel *accordum*, quod per se intelligitur.

Coroll. Fines subordinati sunt aliqua ratione media ad finem ultimum consequendum.

Coroll. 2. Finis sine mediis necessariis existere nequit (conf. §. 21.)

CLXIII. Qui serio vult finem, etiam velle debet media necessaria. Qui serio vult finem, etiam velle debet ea, sine quibus finis existere non potest; sed sine mediis necessariis finis existere non potest (§. præc. cor. 2.):

Qui
vult fi-
nem de-
bet velle
media.

ergo qui serio vult finem, velle etiam deber media necessaria.

Schol. 2. Intellige, nisi certo prævideat media esse alioquin ponenda; tum enim sufficit, ut ille, qui finem cupit, non impedit, quo minus ea ab aliis ponantur, & nulla in eo positiva volitio requiritur. Ita venditio Josephi ex fratum invidentia profecta medium fuit, ut is in Ægyptum perveniret, ibique ad summam dignitatem evehheretur; Deus tamen, qui hunc finem intendit, medium non positive voluit, sed tantummodo permisit.

Schol. 2. Qui media appetit, appetit ea propter finem, ac proinde media prius existant, quam finis, necesse est. Item qui mediis utitur ad finem quempiam consequendum, jam ante de fine cogitavit. Inde patefit potestas axiomatum in philosophia usitatorum: *finis est primus in intentione, ultimus in executione; finis dat mediis amabilitatem, bonitatem, mensuram, ordinem.* Sequentur jam caussæ materialis, formalis, & exemplaris.

CLXIV. *Materia, physice accepta, est ea Pars compositi, quæ varias in se determinations recipit, ut marmor respectu statuæ. Ipsiæ ex determinationes, quæ faciunt, ut res in certa entium classe constituatur, forma sunt, in figura marmori inducta. Exemplar denique illud est, quod caussa efficiens, dum agit, intuetur, ut opus illi simile efficiat, ut idea animo architecti informata, vel delineata, aut typo efficta.*

CLXV. *Omnibus his tribus vero sensu nomen caussæ competit. Materia enim recipiendo determiniationes; forma determinando ens ad certam classem; exemplar dirigendo causam efficientem, continent rationem, cur effectus talis existat; sed hoc est proprium caussæ (§. 142.); ergo iis omnibus nomen caussæ proprie convenit.*

Hæ sunt
veræ
caussæ.

Schol. 1. In tria vulgo genera materiam tribuunt; *in qua*, *circa quam*, *ex qua*: illa subjectum inhæsionis appellatur, altera objectum est, circa quod caussa efficiens operando versatur, de ultima hic agitur. Sed neque magni hæc partitio momenti est; in eamdem quippe rem suo diverso respectu consideratam omnia cadunt: ita marmor materia est, *ex qua* statua efficitur; *in qua* figura inhæret; *circa quam* artifex occupatur.

Schol. 2. In sensu metaphysico materia est ipsum illud subiectum, in quo præter essentiam variæ determinationes, seu affectiones insunt (§. 49.), sed monente Wolfio ab hoc vocabuli usu abstinendum videtur, ne dum spiritibus quoque in sensu metaphysico materiam tribuimus, id a nonnullis sinistram in partem accipiatur. Inde vero etiam formam in sensu metaphysico constituant determinationes essentiales, ita ut essentia, & forma inter se non differant, nisi sub diverso respectu: eædem nempe determinationes, quatenus primo in ente concipiuntur, & ceterarum rationem continent, *essentia* dicuntur: quatenus vero efficiunt, ut ens sit hoc potius, quam aliud, hujusque potius generis, vel speciei, quam alterius, *forma* nuncupantur. Atque hinc illa veterum affata ortum habent: *forma dat esse rei, datque distingui*; item: *forma dat rei operari*, quia nempe attributa, in quibus agendi potentia continetur, in essentia rationem sufficientem agnoscant. De caassis pro scopo satis dixi, nunc gradum faciam ad tertiam entium speciem (§. 94.) compositi nimirum, & simplicis explanandam, sed necesse habeo, ut ante de toto, & parte breviter agam.

C A P U T V.

De Ente composito, & simplice.

CLXVI. Quæ sint multa, dixi (§. 47.). Quid totum, &
Unum constans multis seu reipsa, seu cogitatione solum nostra distinctis, atque idem cum iis simul sumtis totum vocatur. Pars est pars?
quodvis eorum, ex quibus unum constat.

CLXVII. Totum aliud est *essentialie*, quod constat partibus ita necessario requisitis, ut vel una solum ablata ipsum totum pereat; cumque essentia sit vel physica, vel metaphysica (§. 46. sch.), etiam totum istud vel *physicum* est, vel *metaphysicum*; sic *homo* constans corpore, & animo est totum *physicum*; *animal ratione præditum*, seu quidquid constat ex genere, & differentia specifica, est totum *metaphysicum*. Aliud *integrale*, cuius partes solum ad integratem pertinent, ut adeo sublata una vel altera totum tamen maneat. Porro partes hæc vel habent eamdem essentiam, vel non; in primo casu oritur totum *homogeneum*, seu *similare*, ut moneta aurea: in altero *heterogeneum*, seu *dissimilare*, ut *corpus humanum*.

Schol. Addunt etiam totum *logicum*, seu *universale*, & *potestativum*; illud est quævis nota abstracta pluribus conveniens, ut genus, vel species: hoc habetur, cum in ente plures potentiae, seu facultates activæ insunt, quo sensu anima nostra dici potest totum *potestativum*.

CLXVIII. Partes quoque diversæ sunt. Pars aliquota dicitur, quæ aliquoties sumta totum exæquat, ut *binarius in denario*: aliquanta, quæ sæpius repetita vel totum excedit, vel ab eo deficit, ut *ternarius in eodem denario*. Rursus pars est *actualis*, quæ propriis suis terminis constringitur, ut sunt *partes in horologio*: alia *possibilis*, cui termini, quos pro-

prios non habet, pro arbitrio constitui possunt, quales videntur esse in tabula vitrea, vel marmorea.

*Quæ tota
æqualis,
& inæ-
qualis?*

CLXIX. Cum duo tota inter se comparantur, vel ratione quantitatis sibi mutuo substitui possunt, vel non; si primum, æqualia sunt; si alterum, inæqualia (§. 73.). In hoc porro casu necesse erit, ut unum sit majus, alterum minus. *Majus* est altero, cuius pars alteri toti; *minus* vero, quod parti alterius totius æquatur.

Coroll. 1. Cum idem pro se ipso substitui possit, etiam omnes partes simul sumtæ pro toto, & vicissim, substitui possunt; igitur totum est æquale omnibus partibus simul sumtis.

Coroll. 2. Totum majus est qualibet sua parte, & quævis pars minor est suo toto, nec non pars partis est pars totius. Consulatur etiam §. 66. sch.

*Quid ens
composi-
tum &
simplex?*

CLXX. *Compositum* generatim voco, quidquid quo demum cumque modo in varia resolvi potest; & *simplex*, quod huic directe opponitur. Speciatim vero *ens compositum* dico *ens*, quod in plura entia, ex quibus certa quadam ratione conjunctis coalescit, resolvi potest, quodque sic resolvi nequit *ens simplex* vocabo.

Coroll. 1. Omne *ens* vel est *ens simplex*, vel *ens compositum*: inde, etsi prædicata communia entis utpote generis superioris entiam *composito*, quam simplici convenient, prædicata tamen specifica, quæ cuivis ut tali competunt, sunt contradictorie opposita: igitur quæ de ente *composito* ut *composito* affirmantur, negari debent de ente *simplice*, quæ *simplice*.

Coroll. 2. Omne *ens compositum* habet partes realiter distinctas, quæ sunt ipsa illa *entia* in quæ resolvi potest; at vero *ens simplex* id genus partibus omnino destituitur.

Coroll. 5. Omne ens compositum est quoddam totum, non autem omne totum est ens compositum; possunt siquidem in toto esse partes ratione solum nostra distinctæ (§. 166).

Schol. Est & aliud inter totum, & ens compositum discrimen: idea totius repäsentat unum, quatenus idem est cum pluribus simul sumtis, ac proinde sola hæc identitas in considerationem venit, cum agitur de toto: idea vero entis compositi exhibit conjunctionem plurium reapse distinctorum: neque enim sine tali nexu concipi potest, quomodo plura distincta unum con tituauit compositum.

CLXXI. *Essentia entis compositi consistit in certa certarum partium conjugatione.* Il-
lud essentiam entis constituit, per quod unum quodque ens possibile esse intelligitur (§. 46.
sch.); sed si tales partes, talisque earum
conjugatio possibilis est, ens compositum pos-
sibile esse intelligitur; ergo essentia entis
compositi consistit in certa certarum partium
conjugatione. Adde, quod modus, quo tales
partes inter se conjugantur, efficiat, ut sit
hoc potius ens quam quodvis aliud; compo-
situm potius, quam simplex; ac hujus potius
quam alterius speciei compositum. Exempla
pete ab ædificio, mola, horologio, oculo.

CLXXII. *Essentia entis compositi meris constat accidentibus.* Cum essentia entis com-
positi in certa certarum partium conjugatio-
ne consistat (§. præc.), ipsam nihil ingre-
ditur, quam qualitates partium; figura item,
magnitudo, ac determinatus conjunctionis mo-
odus; sed hæc omnia mera sunt accidentia (§.
125.); ergo essentia entis compositi meris
constat accidentibus.

CLXXIII. *Nullum ens compositum est ens necessarium.* Sit quoddam ens compositum
ens quoque necessarium; cum existentia en-
tis necessarii sit absolute necessaria; necesse

*Essentia
entis com-
positi si-
ta est in
modo
composi-
tionis,*

*ac proin-
de in me-
ris acci-
dentibus.*

erit, ut in hac hypothesi vel singulæ partes seorsum acceptæ, vel sola earum conjugatio, vel utrumque simul absolute necessario existat; atqui primum esse nequit, tot enim forent entia necessaria, quot partes, quod pugnat cum §. 114.: sed nec alterum, conjugatio quippe hæc, tametsi sit essentia entis compositi qua talis (§. 171.), tamen compare ad partes contingenter existentes est solum modus quidam, aut inter plura relatio, quod utrumque contingens est (§. 102. cor. 2. 3.); ex his porro liquet nec ultimum fieri posse; ergo nullum ens compositum est ens necessarium. Idem quoque ex immutabilitate entis necessarii (§. 120.) facile demonstrari posset.

Sed contingens.

Coroll. Cum igitur omne ens vel ens necessarium sit, vel ens contingens (§. 104. cor. 1.), evidens est, omne ens compositum esse ens contingens.

Neque ens necessarium est ens compositum,

CLXXIV. Ens necessarium non est ens compositum. Ens necessarium non est ens contingens (§. 104.); sed omne ens compositum est ens contingens (§. præc. cor. 1.): ergo ens necessarium non est ens compositum.

Ens simplex vim habere,

Coroll. Cum rursus omne ens vel sit ens compositum, vel ens simplex (§. 170. cor. 1.), patet ens necessarium esse ens simplex.

CLXXV. Cuivis enti simplici vim quamdam competere simillimum vero est. Imprimis in iis entibus simplicibus, quæ spiritus vocamus, vim aliquam inesse certum est: deinde, ut in cosmologia patebit, ea quoque entia simplicia, ex quibus corpora coalescunt, vi quadam pollere, probabilissimum, si non certum, est; præter hæc autem nulla novimus, & si fortasse quædam extent, arguento ab analogia ducto locus erit. Accedit, quod præcipuum discriminem inter ens simplex, & punctum mathematicum in una hac vi consti-tui posse videatur: his expensis est sane si-

De Ente composito, & simplice. 159
millimum vero, cuivis enti simplici vim quam-
piam competere.

CLXXVI. *In hac vi essentia entis simpli- eamque
cis constituenda videtur.* Si vis quædam enti ejus es-
simplici competit, ut verisimillimum est (§.
præc.), ea vel inest in ipso subjecto, vel in- sentiam
ter affectiones locum habet (§. 49.); sed istud consti-
fieri nequit, quod enim vi pollet, agere pot- tuere vi-
est (§§. 130. 131.); affectiones vero, cum sint detur.
accidentia (§. 225.), agere non possunt (§. cit.
cor. 3.): igitur vis ea inest in ipso subjecto;
atqui in subjecto præter essentiam nihil inest
(§. 49.): ergo vis entis simplicis ad essentiam
pertinet, id est, essentia entis simplicis in vi
quapiam constituenda videtur.

Coroll. Pro diversitate igitur virium diversæ
entium simplicium species constitui possunt.

Schol. Si ex ideis, quas habemus, philosophari,
ut decet, velimus: vires entium differre
possunt vel ratione quantitatis, vel ratione
actionum per ipsas possibilium. Actionum
genera duo solum nobis nota sunt, *cogita-
tio*, in qua volitio includitur, & *motus*;
oritur inde primo *vis cogitandi*, & entia,
quæ eadem pollent, *spiritualia* dicimus,
quo tamen innuere nolumus, non posse a
spiritibus quoque motum effici; eadem quippe
vis, quæ cogitationem efficit, & inde
tamquam a nobiliori effectu *vis cogitandi* de-
nominatur, potest etiam ad motum efficien-
dum sufficere. Oritur inde secundo *vis mo-
trix*, quæ duntaxat conatus est mutandi
locum, & actualem loci mutationem vel ef-
fectum unicum sortiri potest: entia simpli-
cia, quæ hac vi instruuntur, vi cogitandi
ARENT, & *materialia* dicuntur, propterea
quod materiam præbent, ex qua corpora
mundana coalescunt, ut in cosmologia plu-
ribus ostendam. Si vero quantitas virium
spectetur, erit vis alia infinita, alia finita;
itaque ratione quantitatis, quæ vi cogitan-

di competit, erit spiritus infinitus, & spirituum finitorum diversæ omnino species. Nec quidem obstat, quominus ob diversas virium motricium quantitates possibles diversæ entium materialium classes extare queant. Ad extremum denique, cum vis essentiam entis simplicis constituat, palam est, in uno id genus ente unam solam vim inesse posse; quod si igitur plures actiones ab eodem ente efficiantur, inerunt in eo plures quidem agendi facultates (§. 150), una tamen vis, quæ omnes eas facultates in actum reducit.

Ens simplex existit, si existat ens compositum?

CLXXVII. *Si existunt entia composita, existunt etiam entia simplicia.* Si existit ens compositum, existit ens in plura entia realiter distincta resolubile (§. 170.); entia illa plura vel iterum sunt composita, vel non. Atqui primum esse nequit; quodlibet enim eorum plurium entium, quæ sunt partes totius compositi, qua pars, non est illud ipsum compositum, cuius est pars; ergo ens compositum ex aliis, quam quæ ipsum sunt, coalescit. Cumque hæc consecutio semper redeat, omnia entia composita ex aliis entibus, quam quæ ipsa sunt, coalescunt; sed entia, quæ ab omnibus compositis diversa sunt, non sunt entia composita, verum simplicia (§. cit. cor. i.) igitur entia illa, in quæ ens compositum resolubile est, non sunt rursus entia composita, sed simplicia, ac proinde si existunt entia composita, existunt quoque entia simplicia.

Schol. Profecto quemadmodum repugnat, ut detur effectus sine caussa, ita quoque repugnat, ut extet ens compositum sine simplice: sicut enim effectus eget caussa, a qua efficiatur, ita compositum eget componentibus, e quibus constituatur: sunt quippe componentia natura priora ipsis compositis, ac propterea hæc sine illis esse

omnino nequeunt. Jam vero si in composito semper hæreas in partibus compositis, & numquam ad simplicia pervenias, habebis quidem semper composita, at numquam componentia. Quod si a progressu in infinitum subsidium petas, non propterea laqueo te explicabis; nam permisso etiam absurdo hoc progressu profiteri cogeris extare infinita composita sine ullis componentibus, quod aliud non est, quam unam absurditatem infinites multiplicare. Sed hac de re uberior disserendi campus redibit in cosmologia.

CLXXIII. *Omnis substantia est ens simplex.* Fingamus unam substantiam esse ens compositum; habebit igitur partes realiter distinctas (I. 270. cor. 2.), ex quarum conjugatione ipsa oriatur: jam quæro, partes istæ realiter distinctæ suntne substantiæ, vel non? si ita: tum substantia non est *una*, quod hypothesis ponit; si non: tum partes illæ realiter distinctæ vel sunt accidentia, vel nullitates, seu nihila, aliud enim cogitabile non est, atque utrumque manifeste absurdum est; si enim primum: tum sola collectio accidentium, quæ sine substantia existere nequeunt (§. 125. cor. 3.) constituit substantiam; si alterum, tum nihilorum conjugatio substantiam efficit. Quare cum hæc argumentatio de omni substantia valeat, sequitur omnem substantiam esse ens simplex, nec cogitari posse unam aliquam, quæ sit ens compositum.

Coroll. 1. Ens compositum proprie substantia dici nequit, sed aggregatum, sive collectio substantiarum vocandum est.

Coroll. 2. Atque inde nova ratione patet, omne ens compositum ex simplicibus coalescere, secus enim ens compositum foret merum aggregatum accidentium sine substantiis, quod fieri omnino non potest.

Coroll. 3. Cum omni enti simplici vis competat (§. 175.), etiam quævis substantia

Substan-
tia est
ens sim-
plex.

sua vi gaudet: enti vero composito, quātali, nulla vis convenit, cum in ipso præter entia simplicia nihil substantiale insit.

Coroll. 4. Quia tamen ens compositum est aggregatum substantiarum, etiam virium, quæ in his insunt, collectio eidem competit, necesse est.

Schol. Opinio hæc, quæ singulis substatiis vim activam tribuit, ad veritatem quam maxime propendet; hac una certe ratione omnes effectus, qui in mundo hoc aspectabili eveniunt, congrue explicari possunt: qui enim in omnibus continuo ad Deum tamquam caussam primam confugiunt, ii & a communi persuasione, nulla caussa urgente, recedunt, & philosophiæ, quæ in effectibus naturalibus caussas quoque naturales quærendas esse docet, valedicunt; qui vero substantiam quamdam universalem, & naturam genitricem, quæ sola, & ubique agat, statuunt, illi talia proferunt, quæ ipsi non intelligunt, quemadmodum alias videbimus. Quare non possum non vehementer probare ea, quæ Leibnitius de substatiis docuit, quamvis in natura vis substatiis insitæ determinanda ab eo admodum dissentiam.

Aet.
Leips. an-
no 1695.
pag. 145.

Agere, ita ille, est character substantiarum, hancque agendi virtutem omni substatiæ inesse ajo, semperque aliquam ex ea actionem nasci, adeoque nec ipsam substantiam corporum ab agendo cessare umquam, quod illi non satis percepisse videntur, qui essentiam ejus in sola extensione, vel etiam in impenetrabilitate collocarunt, & corpus omnimode quiescens concipere sibi visi sunt. Et atque hincjudicari potest debere in corpore a substantia reperiri entelechiam primam, tamquam πρώτο Δεκτικὸν activitatis, vim scilicet motricem primitivam, quæ præter extensionem, & molem superaddita semper quidem agit, sed tamen varie ex corporum

concurribus per conatus impetusque modificatur. Atque hoc ipsum substantiale principium est, quod in viventibus anima, in aliis forma substantialis appellatur. Addit denique huic opinioni momentum non leve, quod Ibid.
pag. 424; hac via confusae illæ veterum peripateticorum notiones de materia prima, & forma substantiali ad distinctas facillime reducantur; erat nempe ipsi materia prima subjectum quoddam passivum capax recipiendi formam substantialem velut unicum principium actuum. Hæc duo statuerunt omnium rerum naturalium principia generalia; ea tamen clarius definire, aut dilucidare omnino ignorabant: cum enim in materia præter dictam capacitatem nihil conciperent, eam aliter explicare non valebant, quam removendo ab ea omnes qualitates; unde Aristoteli dicta fuit *nec quidem, nec quantum, nec quale.* Jam vero si substantiam⁶ vi activa praeditam ponamus, concipere licebit in ea quidpiam per modum subjecti, in quo ea vis inhæreat, quamquam realis inter ipsa distinctio non extet; tumque illud ipsum subjectum materiæ primæ, vis vero activa formæ substantialis vices implebit. Sed cum in subjecto sic per cogitationem abstracto nihil prorsus relinquatur, nihil etiam erit, quod pro definitione illius, aut declaratione adferatur (conf. §. 125. schol. 165. schol. 2.)

CLXXX. *Omne ens simplex est substantia.* Ens simplex est substantia. Omne ens simplex vel substantia est, vel accidens (§. 125.); sed nullum ens simplex potest esse accidens, quod per se manifestum est: restat igitur, ut omne ens simplex substantia sit.

Coroll. Igitur substantia quoque recte distribuitur in spiritualem, & materialem, quemadmodum de ente simplice dictum est (§. 176. schol.)

Schol. Dixi adhuc, & pro scopo quidem satis

de ente composito & simplice, his nonnulla de utriusque ortu, & interitu adiicienda sunt. In sequentibus vero duobus capitibus notionem extensi, ac continui cum aliis affinibus examinabo.

*Quid &
quotu-
plex or-
tus & in-
teritus
entium?*

CLXXX. Ens oritur, cum ex non existente fit existens, sive, quod idem est, cum ex statu nudæ possibilitatis transfertur ad statum actualem. Porro cum ens non existit, vel eius constitutiva jam existunt, vel non: cum ens sit existens, cuius constitutiva jam extiterunt, oritur illud *ex aliquo*, ut horologium per conjunctionem partium jam existentium; cum ens fit existens, cuius nulla constitutiva ante extiterunt, oritur *ex nihilo*; actio qua illud obtinetur, productio, vel affectio, ac interdum generatio; qua hoc: *creatio cognominatur*. Ab opposito ens *interit*, cum ex existente fit non existens, & hic interitus similiter duplex est: *simplex* cum adhuc constitutiva entis remanent; *compositus*, cum nihil ipsius remanet existens; ille interitus *corruptionem*, hic *annihilationem* perficitur.

*Ens ne-
cessa-
rium nec
oriri, nec
interire
potest,*

*Potest
autem
ens con-
tingens.*

CLXXXI. *Ens necessarium nec oriri, nec interire potest.* Quod numquam potest esse in statu nudæ possibilitatis, illud nec oriri, nec interire potest (§. præc.): sed ens necessarium numquam potest esse in statu nudæ possibilis (§. 104. cor. 2.); ergo ens necessarium nec oriri, nec interire potest.

Coroll. 1. Quod nec oritur, nec interit, æternum est: igitur nova ratione patet, ens necessarium esse æternum (conf. §. 110.)

Coroll. 2. Omne ens, quod aut oriri, aut interire potest, contingens est, & quia omne ens contingens in statu nudæ possibilitatis esse potest (§. 104. cor. 3.), omne ens contingens oriri, & interire potest.

Coroll. 3. Quia porro omne ens compositum ens contingens est (§. 173. cor.), evidens est omne ens compositum & oriri, & in-

terire posse, atque adeo nullum ens compositum æternum esse.

CLXXXII. *Omne ens compositum & oriri ex aliquo & interire interitu simplici potest.* Ens compositum produci & corrumpi. Cum essentia entis compositi sita sit in certa certarum partium conjugatione (§. 171.), ensque tum oriri, aut interire dicendum sit, potest. cum ipsis essentia aut oritur, aut interit; manifestum est, ens compositum oriri, cum partes ipsis jam existentes certo modo conjunguntur, ac interire, cum earumdem partium consociatio dissolvitur: sed hoc est ori-ri ex alio, & interire interitu simplici (§. 180.): ergo omne compositum & oriri ex aliquo & interire potest interitu simplici. *Patet id in horologio, ædificio &c.*

Coroll. Conjugatio partium substantia non est, sed merum accidens: igitur omne ens compositum & oriri, & interire potest, quin quæpiam substantia aut oriatur, aut interreat.

Schol. Hunc modum natura sibi relicta sequitur; in mutationibus enim naturalibus nulla perit substantia, nihilque annihilatur; sed dum unum corpus corruptitur, aliud generatur; & eadem prorsus substantiæ jam hoc jam illud corpus, prout varie componuntur, constituunt. Interea tamen, quod probe notari velim, hoc theoremate non negamus fieri posse, ut etiam ens compositum creetur, aut annihiletur.

CLXXXIII. *Ens simplex nequit oriri ex ente composito.* Ut ex ente composito ens novum oriatur, necesse est, ut id fiat vel accessione novarum, vel recessione pristinarum partium, vel permutata earumdem conjugatione; sed id, quod accessione, aut nova pristinarum partium conjugatione oritur, est ens compositum, non simplex; & si fiat recessio partium, tum residuum vel est compositum ex partibus, vel non; si illud: non est ens sim-

plex non potest oriri ex ente composito.

plex; si hoc: adest quidem ens simplex, at non nunc ortum, verum quod jam antea existit: patet igitur, ens simplex ex ente composite oriri nequaquam posse.

*neque ex
ente sim-
plici,*

CLXXXIV. *Ens simplex nequit oriri ex alio ente simplice.* Si ens simplex orioretur ex alio ente simplice, id fieret vel per distractionem, vel per transformationem, sed neutrum omnino fieri potest; non primum: non enim in ente simplice partes sunt, quæ distrahi, aut avelli possent: non alterum; nam hæc transformatio efficeretur vel sublatis, vel remanentibus essentialibus, quorum rursus utrumque repugnat; si enim in ente *a* tollerentur essentialia, ut ipsum transformaretur in ens *b*, ipsum ens *a* tolleretur, & illius loco ens novum *b* substitueretur, quod non est transformari: si autem in ente *a* remanent essentialia, remanebunt etiam attributa (§. 46. cor. 2.), & modi solum aliqui mutabuntur (§. cit. cor. 1.), ac proinde ens *a* permanebit ens *a*, nec transformabitur in ens *b*: ergo generatim ens simplex ex alio ente simplice oriri nequit.

Coroll. *Ens simplex unius speciei nequit effici ens simplex alterius speciei, ita ex ente materiali nequit fieri spirituale: aut vivissim.*

*ac proin-
de cum
oritur,
creatur,*

CLXXXV. *Ens simplex cum oritur, oritur ex nihilo.* Cum ens simplex oritur, vel oritur ex nihilo, vel ex aliquo (§. 180.); sed non oritur ex aliquo, istud enim vel esset ens composite, vel ens simplex; atqui ens simplex nec oritur ex composite (§. 183.), nec ex simplici (§. præc.): restat igitur, ut ens simplex, cum oritur, oriatur ex nihilo.

Coroll. *Igitur per creationem solum ens simplex existentiam obtinere potest.*

*& cum
interit,
annihila-
tur.*

CLXXXVI. *Ens simplex, cum interit, in nihilum abit.* Cum ens simplex interit, nihil illius remauet; remaneat enim vero quidpiam,

De Ente composito, & simplice. 147

erit illud vel pars ejus, quod periit, vel aliud, in quod illud prius transformatum est: sed utrumque contradictionem involvit (§§. 170. cor. 2. 184.): ergo ens simplex, cum interit, in nihilum abit.

Coroll. Opus igitur est annihilatione, si vel una substantia in mundo interire debeat.

CLXXXVII. Ortus, & interitus dicitur *momentaneus*, cum plura successiva in ipso distinguere non licet; in casu opposito *temporaneus*. Patet autem per se, illum necessario competere entibus simplicibus, non item compositis; tametsi enim entia quoque composta momento individuo oriri, & interire absolute possint, id tamen necesse non est, cum ex partibus vario modo conjunctis constent.

Coroll. Igitur in ortu, & interitu entium simplicium varia discerni nequeunt, ac proinde illius ideam solum confusam (§. 55. log.) habere possunt.

Quid ortus, & interitus momentaneus, aut temporaneus?

C A P U T VI.

De Extenso, Continuo, & Spatio.

CLXXXVIII. *Extensem* dicitur unum, quod ex partibus extra sese positis, ac vel reapse, vel sensuum saltem judicio unitis constat, ut *tabula vitrea*, *vel marmorea*. Hujus abstractum vocatur *extensio*, quæ proinde aliud non est, quam positio partium unitarum extra partes.

Quid extensem, ac extensio?

Coroll. 1. Omne ens extensem est ens compositum, & vicissim quoque omne ens compositum est ens extensem.

Coroll. 2. Ens simplex, ac proinde etiam substantia extensa esse nequit.

Coroll. 3. Ex his ulterius liquet in quovis ente extenso dari entia inextensa (conf. §. 177.).

Schol. Notionem extensi continere notionem

Extensio
cum sim-
plicitate,
Pugnat.
Introductio
allo stu-
dio della
relig.
pag. 274.

148 *Ont. Sect. III. Cap. VI.*
compositionis, jam olim a Pythagoræis tra-
ditum fuisse scribit Gerdillius; interea ta-
men sunt philosophorum non pauci, qui in
contrariam partem abeunt, putantque enti
quoque simplici extensionem competere pos-
se. Concipiunt hi in ente simplici partes
quasdam, non quidem reales, verum, ut a-
junt, *virtuales*; quin figuræ quoque diver-
sas, angulos, cuspides Epicuri, Gassendique
exemplo addunt: quare extensionem gene-
ratim definiunt *esse occupationem spatii di-
visibilis*, docentque posse ab ente, seu illud
ex partibus realibus constet, seu reapse
iisdem destituatur, spatium in plures partes
divisum occupari. Ipsorum igitur opinione
potest ens simplex unicum totum spatium
occupare, in quo duo vel plura alia simul
existere possent, & ratione magnitudinis
spatio occupato competentis dicitur unum
majus, vel minus altero. Quod si ex illis
quaeras, qui id fieri queat, cum ens sim-
plex omni parte careat? Respondent totum
ens in toto spatio, & totum in quavis spa-
tii parte existere; sic animam hominis in
toto corpore, & in quavis corporis parte
totam; sic quoque ipsum Deum & in toto
mundo, & in qualibet illius parte totum
præsentem esse.

At vero a Dei, utpote entis infiniti, existen-
tia argumentum peti posse non putem; est
ea certe mysterium, quod omnes cujuscum-
que intelligentiæ finitæ limites exuperat; unde
nec Deum vel virtualiter extensem um-
quam dicimus, nec ipsius immensitatem per
modum alicujus extensionis concipere licet,
qua in re consentientes habeo omnes theo-
logiæ peritos. Quod autem de anima huma-
na asseritur, id eodem, quo affirmatur, ju-
re negati potest, quin & debet; generatim
enim notio extensionis absolute pugnat cum
notione simplicitatis: illa quippe superficies

& medium aliquod intercedens repræsentat ;
hæc, quæ similia sunt, & absque partibus
realibus consistere nequeunt, prorsus exclu-
dit. Sed nempe id in *virtuali extensione*
non obtinet. Ita quidem illi : at ego con-
tendo ipsos id genus extensionis ideam ha-
bere nullam, esse proinde hunc terminum
inanem (§. 77. log.) qui nodum nequaquam
solvat. Sit enimvero ens simplex *a*, occu-
petque spatium in triginta partes divisibile ;
jam quæro : illud, quod in parte spatii tri-
gesima existit, estne aliquid, vel nihil ?
Non hoc certe ; igitur primum ; porro istud
aliquid, quod in parte spatii trigesima exi-
stit, vel est realiter illud ipsum, quod in
parte prima ejusdem spatii existit, vel non ?
Si hoc, jam adest pars realis : igitur ens sim-
plex *a* simul non est ens simplex ; si illud,
tum ens *a* existit simul, & eodem tempo-
re in triginta partibus spatii, seu quod i-
dem est, in triginta spatiis minoribus, atque
adeo ens *a* simplex est naturaliter replica-
tum in totidem spatiis, quod unanimi phi-
losophorum consensione fieri nequit. Dein-
desi dari potest ens simplex, quod magni-
tudinem duorum, vel trium, & sic, porro,
æquare potest, nihil obstabit, quominus
existere possit ens simplex, quod magnitu-
dine Caucasum exsuperet, quod quidem sen-
tentiaz hujus fautoribus nullo pacto absurdum
videtur. Existat jam per hypothesin ens sim-
plex hujus magnitudinis, insideatque eidem,
quid enim vetat ? ad orientem musca *a*, ad
occidentem musca *b* : quæro igitur rursus :
id, cui insidet musca *a*, estne realiter il-
lad ipsum, cui insidet musca *b*, vel non ?
Si neges, ponis in ente simplice partes
reales, si ajas, statuis muscas naturaliter
compenetrari, erunt enim in eodem loco :
ita, quo te cumque vertes, te ipsum ju-
gulas.

Quotu-
plex ex-
tensio?

CLXXXIX. Estensum vel *in concreto*, ni-
mirum cum materia subjecta, vel *in abstra-
cto* spectatur, cum sola extensio abstrahendo
ab omni materia, in qua eadem insit, consi-
deratur. Extensio rursus vel in longum tan-
tum, & *lineam*; vel simul in latum, & *su-
perficiem*; vel denique in profundum quoque
protenditur, & *corpus mathematicum* consti-
tuit: illius vero limes *figuram* efficit, unde
geometrarum figuræ oriuntur.

Coroll. 1. Cum omne ens compositum exten-
sum sit (§. præc. cor. 1.), nec infinitum
esse possit, ut deinceps demonstrabitur, ne-
cessere quoque est, ut omne ens compositum
figuram habeat.

Coroll. 2. Figura entis compositi mutatur mu-
tatis limitibus, id vero fit vel accessione,
vel ablatione, vel transpositione partium
extimaru[m].

Coroll. 3. Ens simplex, cum extensum non
sit (§. præc. coroll. 2.) nec habere figuram,
nec vero sensu magnum, aut parvum dici
potest.

Quid in-
tensio?
Schol. Quia tamen enti simplici vis competit
(§. 175.), quam aliæ quoque qualitates co-
mitari possunt, convenit eidem quantitas
qualitatis sive gradus (§. 72.); unde si fini-
tum sit; habebit gradum ultimum, sive li-
mitem, atque adeo defectum ulterioris *inten-
sionis* in vi, reliquisque qualitatibus: poterit
igitur ens simplex dici magnum, & parvum
intensive. *Intensio* nimirum, sive *intensitas*
aliud non est, quam graduum multiplicatio,
concipimus enim gradum, qui qualitatis
quantitatem constituit, ex minoribus gradi-
bus veluti totidem partibus coalescere; ita
cum calorem unius corporis cum calore alte-
rius comparamus, qui sit illius duplus, primum
pro gradu uno assumimus, & alterum duobus
gradibus constare, ac quo plures deinde gra-
dus sic mente accumulamus, eo magis calo-

rem intendi dicimus : hujus rei ratio in eo sita est, quo omnis quantitas, quæ pro unitate assumitur ad aliam se habeat, ut linea recta ad aliam; linea vero minor est ad majorem ut pars ad totum. Accommodate Wol-
fius. Intendi dicitur id, cuius gradus fit ma-
jor : remitti, cuius gradus fit minor. — Ut
adeo intensitas sive intensio sit quasi gra-
duum multitudo, quemadmodum magnitudo
partium multitudo. Nimirum sicut pars
rectæ etiam recta est ; ita pars gradus i-
tidem gradus est. Et quemadmodum magni-
tudo rectæ lineæ resultat ex multitudine
partium toti homogenearum ; ita etiam
intensitas resultat e multitudine graduum
toti gradui homogeneorum Porro quemad-
modum in recta partes non nisi pos-
sibles sunt, atque continuæ ; ita quo-
que in gradu ceteri minores non nisi possi-
bles sunt, nequaquam autem actu divisi,
atque adeo quamdam quasi continuïtatem
mentiuntur. Quemadmodum vero partes, in
quas actu resolvi potest linea, in eadem co-
existunt, ita quoque plures gradus minores,
quibus simul suntis alius quidam æquipolle-
re deprehenditur, in eodem coexistunt, ita
ut perinde sit, ac gradus isti singuli extra
se invicem existentes adessent. In eo tamen
differentia inter rectæ lineæ magnitudinem
et gradus intensitatem intercedit, quo par-
tes lineæ rectæ actu extra se invicem exi-
stant, et extensem continuum forment ; in
gradu autem minores, ex quibus veluti com-
positus concipitur, cum partes tantummodo
imaginariæ sint, extra se invicem non exi-
stant, neque adeo extensem efficiant.

CXC. Continuum dicimus unum, quod ex variis ita inter se adstrictis, & unitis, ut alia diversa nullo modo interponi possint, consurgit, ita tabula marmorea vulgo continua putatur : oppositum vocatur interruptum, quale est cribrum. Contiguum est alteri, quod ita

Ont. p. 2.
5. 2. c. 2.
99. 758.
759. sch.

eidem in loco proxime vicino coexistit, ut
iis immotis nihil interponi possit, tametsi queat
illis remotis, ut liber libro impositus.

Coroll. 1. Omne extensum vel continuum est,
vel interruptum.

Coroll. 2. Continuitas excludit etiam possibi-
lem partis diversæ intermediæ existentiam.

Coroll. 4. Interruptio ponit existentiam vel a-
ctualem, vel possibilem partis diversæ inter
duas datas.

Coroll. 4. Contiguitas excludit existentiam par-
tis diversæ intermediæ inter duas datas vel
actualem, vel illis immotis possibilem.

Coroll. 5. In continuo partes sunt possibles,
in contiguo actuales (§. 168.).

CXCI. Entia *distare* dicuntur, quæ ita exi-
stunt, ut iis suis in locis immotis aliquid vel
actu interpositum sit, vel saltem interponi
possit: ejus abstractum *distantiam* metitur li-
nea brevissima, quæ inter ea duci posse con-
cipitur, quæque semper est recta, ut norunt
mathematici.

Schol. Satis manifestum esse arbitror *conti-*
guitatem & distantiam ad relationes per-
tinere, quarum ratio fundandi sit certus qui-
dam, ac determinatus entium ad se relato-
rum coexistendi modus: videlicet, si duo en-
tia eo modo, qui oritur ex eo, quod nihil in-
ter ea immota interponi possit, sibi mutuo
coexistunt, modus hic fundamentum præbet,
ut denominentur *contigua*; modus vero coexi-
stendi, qui tum datur, cum aliquid interponi
potest, quique a priori omnino diversus est,
rationem continet, ut entia dicantur *distan-
tia*: relatio igitur distantiae nititur in modo
coexistendi, qui ponit solam possibilitatem
interpositionis alterius, quique adeo ea pos-
sibilitate permanente permanet, seu actu
quid sit interpositum, seu non.

*Ens sim-
plex a-*

CXCII. *Ens simplex alteri enti simplici num-*
quam potest esse contiguum. Sit ens simplex

Quid di-
stantia?

a contiguum enti simplici b: existit igitur u-
trumque in puncto contactus, vel non ; si hoc,
tum se non contingunt, cum enim nullam pror-
sus partem, aut extensionem (§. 188. cor. 2.
& sch.) habeant, necesse est, ut ibi se non
contingant, ubi non existunt. Si vero utrum-
que existat in punto contactus, tum in idem
spatii punctum congruunt, atque ideo com-
penetrata sunt ; nam ob absolutam suam sim-
plicitatem nequeunt nisi unicum spatii pun-
ctum occupare ; atqui, quæ compenetrata
sunt, non dicuntur contigua (§. 190.): igitur
ens simplex alteri numquam potest esse con-
tiguum.

Coroll. Si igitur duo, vel plura entia simpli-
cia coexistant, ea vel loco congruunt, &
compenetrata sunt, vel a sese distant.

Schol. Qui imaginationi nimis indulgent, eam-
que pro mensura intelligibilium assumunt, illi veritatem hujus theorematis omnino non
assequuntur ; assueti enim ideis rerum sensibilium quas ab ipsa infantia ope sensuum,
ac præcipue tactus jam in utero materno
sibi compararunt, nihil intelligi posse putant,
nisi quod extensem sit, quodque im-
agine quadam phantastica repræsentari queat,
ac propterea nullam se entis simplicis, &
inextensi ideam habere palam fatentur. His
quidem, si doceri velint, id subsidii Boscho-
vichius subministrat : præcipit nempe, ut
tabulam quampiam planam per medium se-
ctam ita secundo secent, ut posterior se-
ctio priori sit perfecte contigua, id quod
fieri nequaquam posse statim experientur ;
quidcumque enim tentent, aut posterior se-
ctio congruet cum priori, aut ita ab illa
distabit, ut etiam quidpiam interponatur,
neutro autem casu duæ eæ sectiones conti-
guæ erunt. Quod si deinde transversa fiat
sectio, punctum concursus modum suppedi-
tabit, quo idea entis simplicis concipiatur;

Theoræ
phil. nat.
§. 1.
p. 1.
§. 135.

simplicitas enim utrobique est eadem; ac
discrimen in eo solum ponitur, quod ens
simplex vi activa polleat, & aliquid reale
sit; illud solum imaginarium: quare hoc pun-
ctum mathematicum; illud physicum appell-
lari solet. Qui vero cum Leibnitianis ad
essentiali entium simplicium, sey, ut a-
junt, monadum impenetrabilitatem confun-
giunt, iis cum laudato auctore hæc dicta
sint: *Qui dicunt monades non compenetrari,* quia natura sua impenetrabiles sunt, ii
difficultatem nequaquam amovent; nam si
& natura sua impenetrabiles sunt, & conti-
nuum debent componere, adeoque continua
esse; compenetrabunt simul, & non compe-
ntrabuntur, quod ad absurdum dedit, &
ejusmodi entium impossibilitatem evincit.
Ex omnimodæ inextensionis, & contiguita-
tis notione evincitur compenetrari debere,
argumento contra Zenonistas instituto per
tot secula, & cui numquam satis responsum
est. Ex natura, quæ in iis supponitur, ipsa
compenetratio excluditur, adeoque habetur
contradiccio, & absurdum. Quid denique
illis faciemus, qui in verbulo saltem quæ-
runt? Ajunt: entia simplicia, cum se con-
tingunt, nec compenetrantur, nec distant;
quid igitur? distare incipiunt: en arcem,
an potius specum, in quam sese abdunt. Sic
arguo: entia, quæ distare incipiunt, vel
reapse a se distant vel non distant; tertium
certe per contradictionis legem excludi-
tur. Si distant, teneo, quod volo; ipsi vero si-
bi contradicunt: si non distant, reddit supe-
rior argumentatio; neque vocula illa inci-
piunt, difficultatem sustulit. Profecto nisi
quis putet entia simplicia esse quosdam
globulos, qui extremitates habeant, & me-
dium; impossibile est, ut se secundum u-
nam partem contingant, secundum aliam
distent, aut distare incipient.

Dissert.
de nat.
divers.
n. 13.
not.

CXCIII. Continuum spectatur physice; cum representationis a sensibus factæ duntaxat ratio habetur; ita tabulam marmoream revera continuam putamus, quod minimæ distantiaæ sensibus subducuntur: metaphysice, vel etiam mathematicice, cum attenditur ad id, quod in se, ac reipsa est; unde continuum est metaphysice tale, cum partes in se reipsa ita continuantur, ut nihil diversi interseri possit.

CXCIV. Continuum metaphysice tale in rerum natura non extat. Omne ens extensum ex entibus non extensis (§. 188. cor. 3.), seu omne ens compositum ex entibus simplicibus coalescit (§. 177.): igitur nequit ens esse continuum metaphysice tale, nisi entia simplicia sibi mutuo sint contigua; sed entia simplicia sibi numquam contigua esse possunt (§. 192): ergo nec extat, nec extare potest in rerum natura continuum metaphysice tale.

Coroll. Verum igitur continuum est solum abstractum, in quo examinando geometria occupatur: quæ nos vulgo in continuis habemus, ea solum comparate ad nostros sensus talia sunt.

Schol. Certe sensus nostros idoneos perfectæ continuitatis testes non esse ex usu microscopiorum, aliisque experimentis innumeris sat is hodie notum est; consuli potest Bo-sco-vichius. Nihil igitur agunt, qui apparentia sensuum delusi veritatem hujus assertionis ob contrariam experientiam in dubium vocare volunt. Quid? quod, tametsi entia simplicia se contingent, nondum tamen continuum metaphysice tale efficerent; ista quippe entia forent partes actuales quibus in hujusmodi continuo locus non est (§. 190. cor. 5.).

CXCV. Simultanea sunt, quæ eodem tempore simul existunt, ut sol, luna, tellus; successiva, quæ, tametsi non coexistant, ita

Quid continuum physice, & metaphysice?

Continuum metaphysice tale non extat.

Loc. cit.
§. 158.

Quid si multanea, & successiva?

tamen inter se conjunguntur, ut, dum unum desinit, alterum incipiat existere, *ut dies, mensis, annus*. Inde ens vocatur permanens, cuius essentiales determinationes sunt simultaneæ, *ut horologium: successivum* vero, cuius determinationes essentiales sunt successivæ, *ut tempus, motus*.

Coroll. Omne continuum vel est permanens, vel successivum.

Quæ i-
deæ vul-
garis
spatii?

CXCVI. Ubi advertimus locari posse ali- quod ens *compositum*, quod in cosmologia *corpus* vocatur, ibi *spatium* adesse dicimus; negamus contra dari *spatium*, cum nihil amplius locari posse cogitamus: *sic dicimus non superesse in templo spatium, cum illud hominibus jam confertum est*. Res ad usum loquendi attento per se manifesta est: igitur ratione ideæ vulgaris habita *spatium* recte dicitur locandorum corporum possilitas.

Quæ
cujus
spatii
proprie-
tates?

Schol. Hoc porro *spatium* vulgo concipimus tamquam receptaculum ab omnibus rebus *vacuum*, in quo reponi potest, quidquid lubet, seu ut aliquod trine extensem, continuum, similare, & a corporibus in eo existentibus penetrabile. His ratiocinando adjicimus extensionem interminatam, divisibilitatem in infinitum, æternitatem cum necessitate, ac immobilitatem, quæ breviter demonstranda sunt. Tribuitur igitur spatio.

1.) *Interminata extensio*; numquam enim cogitando eo pervenire licet, ubi concipiatur non esse amplius possibile, ut *corpus* quoddam locetur: nimirum ubicumque extra mundum cogitatio nostra divagetur, ibi locatio alicujus corporis possibilis intelligitur: igitur extensio hujus spatii nullis terminis concluditur.

2.) *Divisibilitas in infinitum*: quod enim cumque intervallum, quantumvis minimum videatur, in hoc spatio assumptum semper in duas partes æquales dividi potest; unde in

ejus divisione numquam ad finem pervenitur. Quod ut accuratius pvideas, pone duo entia simplicia *a*, & *b* intervallo quo-vis distantia, ajo : inter *a*, & *b* potest ponni tertium *c* æqualiter ab utroque distans, quin alterutrum contingat ; nam si ens *c* ita in medio positum contingenteret ens *a*, contingenteret hoc ipso etiam ens *b*, cum ponatur ipsum *c* in medio æqualiter ab *a*, & *b* distans : sed si ens *c* contingit ens *a*, cum illo compenetratur (§. 192.) : ergo etiam si ens *c* contingit ens *a*, ens *c* compenetratur cum ente *b*, id est, si medium *c* alterutrum seu *a*, seu *b* contingenteret, ipsum esset cum utroque, tam *a*, quam *b* compenetratum ; atqui si ens *c* esset cum utroque compenetratum, etiam illa duo forent inter se compenetrata, qnod absurdum est ; ponuntur enim hæc duo *a*, & *b* ex hypothesi distare, cum autem compenetrantur, non distant : igitur si ens *c* in medio positum inter *a*, & *b* alterutrum contingenteret, illa duo *a*, & *b* distarent simul, & non distarent, quod cum fieri nequeat, evidens est inter quævis entia simplicia *a*, & *b* quocumque intervallo distantia semper posse ponni medium *c*, sique illud intervallum in duas partes æquales dividi. Dico id de quocumque intervallo ; nam hoc argumentum semper, et in infinitum reddit. Vid. Boscovich.

4.) *Æternitas cum necessitate* : omnis enim rerum possilitas æterna est , ac necessaria, nec initium aut finem habere potest : igitur idem de possibilitate locandorum corporum affirmari debet.

5.) *Immobilitas*, quia nulla spatii hujus pars ne cogitando quidem alio transferri potest ; sume enim partem aliquam *b* inter *a*, & *c*, eamque alio cogitatione tua transfer ; jam quæro, quid facta hac translatione inter *a*, & *c* concipis ; potestne ibi locari

corpus? nihil sane est, quod impedit: igitur spatum ibi est, ubi illud abstulisti, ac proinde nihil transtulisti.

Spatium non istud non est quidpiam reale. Imprimis enim generaliter possilitas entium non est aliquid reale: igitur neque possilitas locandi corpora, in qua hoc spatum constituitur (§. præc.). Deinde quidquid existit, vel substantia est, vel accidentis (§. 125. cor. 1.): atqui spatum istud nequit esse substantia: repugnat quippe substantia infinite extensa, & divisibilis (§. 173.), item æterna, ac necessaria præter Deum (§. 114.): nequit esse accidentis; accidentis enim non existit extra substantiam (§. 125. cor. 5.), spatum vero hoc debuisse existere, antequam substantiae crearentur. Denique non intelligitur accidentis infinite extensum, & divisibile: ergo spatum adhuc expositum non est existens, seu reale.

Coroll. Omnibus igitur entibus sublati nullum reale spatum remanet.

Schol. i. Atque inde spatum istud *imaginarium, abstractum, aut vacuum*, de quo postea, dicunt; item *absolutum*, cum a rebus actu locatis nequaquam pendeat; possilitas enim locandi corporis absque actuali locatione optime subsistit. Quare spatum *absolutum*, reale non est. Neque, quæ opponuntur, multum habent ponderis; ajunt nempe:

Satis fit? ii. Spatum, quod sublati omnibus entibus remanet, est mensurabile; sed quod est mensurabile, est quoque reale: ergo spatum, quod sublati omnibus entibus remanet, est reale. Quid? quod spatiuni istud dicatur *magnum, parvum, quantum &c.* sequitur proinde existere spatum quoddam quod *absolutum* sit ac reale.

R. d. M. est mensurabile *terminis alienis c. M. terminis propriis n. M. sic d. m. n. cons.*

Eatenus solum spatium illud, quod sublatis rebus omnibus superesse intelligitur, dici potest mensurabile, quatenus ordo, quares, si ibi locarentur, constituerent, per determinatam mensuram explicari potest; non vero; quasi illud haberet partes realiter extantes, quibus mensura applicari posset. Ordinem nempe entium coexistentium, qui vel actu datur, vel dari saltem posse concipitur, per distantias explicamus, quæ distantiae mensurabiles sunt: quod cum facimus, designamus mente terminos, quos ab ipsis entibus locatis, vel locandis abstractimus, enunciamusque tot, exempli caussa, orgyas, palmos, pedes, interponi posse, atque sic alienis terminis spatium illud mensuramus, propriis certe metiri ipsum nequaquam possumus, cum enim non sit aliquid reale, nec habet partes reales, nec etiam terminis propriis concluditur. Cum deinde dicitur quantum, magnum, parvum, verum id est, si haec in abstracto, & mathematico, non item si in concreto, & realiter intelligantur. Nimimum mensurabile, quantum, magnum, parvum tam in concreto prout denotant in recto subjectum, reale, in obliquo vero ipsam mensurabilitatem, quantitatem, magnitudinem, parvitatem; quam in abstracto accipi possunt, cum aliud non significant, quam ordinem, qui per distantias exprimi possit: quemadmodum esse numerabile de quovis numero concreto æque, ac abstracto verissime affirmatur. Sic igitur quantitas mathematica est vera quantitas, & vere mensurabilis, tametsi realis non sit; ita quoque hoc spatium, licet reapse non extet, est tamen vero aliquo sensu mensurabile, magnum, parvum, non quidem quasi veros, ac reales haberet terminos, sed quod tales concipi possint.

2.) Deus potest alium adhuc mundum a no-

stro penitus distinctum condere: ergo necesse est, ut extra hunc mundum actu detur spatium, in quo nimis locari possit.

R³. Spatium, quod extra mundum hunc asperctabilem datur, imaginarium duntaxat est, non reale, non enim alter mundus in spatio reali locari deberet, secus istud ipsum quoque spatium alio reali, & istud rursus alio, atque sic in infinitum, egeret: sed Deus, si conderet alium mundum, conderet eum in spatio imaginario, & condendo mundum simul conderet novum spatium reale, quod nempe in reali simultaneorum ordine consistit, ut infra dicam. Probe igitur sciendum: reale spatium cum mundo praesente initium habuit, & sic quoque aliud spatium reale inciperet existere, si alias mundus crearetur; interea tamen spatium imaginarium jam ante datur, quatenus nempe concipimus possibilem esse ordinem rerum ipsis nondum procreatim; sicut possumus cogitare rotunditatem absque corpore rotundo, aut numerum sine rebus numeratis: verum ut talis rotunditas, vel numerus non est realiter existens, ita spatium illud non est reale, sed imaginarium, ac mera possilitas recipiendi corpora locata.

3.) Potest Deus totum hunc mundum alio transferre: igitur extra hunc mundum videtur actu esse spatium reale: translatio enim entis fieri nequit nisi ex una parte spatii realis in aliam.

R³. Nego id, quod in consequente infertur una cum sua ratione addita. Pone, quod captu facillimum est, duo solum corpora, vel duos homines, nihilque praeterea condi: poterunt certe duo haec corpora ad se mutuo a Deo propelli, poterunt duo illi homines ad sese vel accedere, vel contra recedere; in utroque vero hoc casu fieret translatio

corporis ex una parte spatii imaginarii in aliam, neque tamen ulla hac in re repugnantia ostendi potest, Fatendum tamen, mundum posse alio transferri, locutionem esse non satis propriam, non quidem quod motus verus, ac proprius in vacuo haberri nequeat, sed quod non adesset mutatio quædam distantiae realis, quæ cum motu proprie sumpto alias semper conjungitur, cum enim nullum ens reale extra mundum totum existat, a quo is realiter distet, nulla quoque realis distantia, posita hac translatione, mutaretur. Præterea cum in spatio illo imaginario non adsint partes reales, nullam quoque in eo partem designare possumus, nisi quatenus aliquod corpus locari posse cogitamus: inde, quia possibile est, ut Deus alium mundum præter nostrum condat, & quia, si id reapse fieret, illi responderet pars spatii imaginarii alia ab ea, quæ nostro nunc mundo respondet, amoto per cogitationem novo illo mundo, nostrum illuc transferri a Deo posse concipimus, ex quibus omnibus nequaquam sequitur, jam nunc extra mundum spatum reale extare. Universim denique voculæ hæc: *hic*, *ibi*, *alibi*, in usu vulgari fere ad spatiū reale solum applicantur, unde vero sensu dici nequit: mundum potuisse *hic*, *ibi*, *alibi* condi, nisi clare addatur pars spatii imaginarii per possibilem alicujus corporis locationem designata.

Schol. 2. Sunt præterea nonnulli, qui dum spatio huic veram tribuunt actualitatem, illud simul attributum Dei esse, ac in ipsius immensitate consistere affirmant, ne nimis præter Deum aliam quampliam substantiam incretam, ac infinitam admittere cogantur. Raphsonis, Mori, Newtoni, Clarkii, aliorumque nobiliorum Angliæ philosophorum hæc est opinio, de qua acris olim

Recueil.
de di-
vers.
piec.
som. 1.

162 *Ont. Sect. III. Cap. VI.*

Clarkium inter & Leibnitium concertatio existit. Verum multa sunt, quæ eam refellunt opinationem : ergo quædam attingam. 1.) Possibilitas entium generatim non est formaliter ipsa Dei omnipotentia (§. 56. cor. 1.) : igitur neque possilitas locandi corpora est ipsa ejus immensitas. 2.) Spatium concipitur per modum extensi continui (§. 196. sch.), partesque illius diversæ diversis corporibus in iisdem locatis commensurantur ; immensitas autem Dei est simplicissima, neque ullo pacto in ea quamdam extensionem cogitare licet : vide Moniglia. 3.) Tempus non est æternitas Dei, secus res, quæ sunt in tempore, forent in æternitate Dei : ergo neque spatium est immensitas Dei : æque enim absurdum est, ut entia, quæ sunt in spatio, sint revera in ipsa substantia divina. 4.) Deus vi immensitatis suæ est essentialiter determinatus, ut omni spatio reali, quod extiterit, præsens adsit, ut in theologia dicam : sicut vi æternitatis suæ determinatur, ut omni tempori, quod fuerit, coexistat : si igitur spatium foret ipsa immensitas, Deus vi suæ immensitatis determinaretur, ut suæ immensitati præsens adsit, quod risu dignum est. Sed jam ad notionem spati realis evolvendam transeamus.

CXCVIII. *Ut intelligamus actu dari spatum reale, non aliud requiritur, quam ut intelligamus actu dari aliquod extensem continuum, in quo corpora actu recipientur, & certo inter se ordine disponantur, ac connectantur.* Ut intelligamus actu dari spatum reale, non aliud requiritur, quam ut per res existentes ea in nobis idea excitetur, quam vulgo de spatio habemus ; sed cum intelligimus actu dari aliquod extensem continuum, in quo corpora actu recipientur, certoque ordine inter se disponantur, ac connectantur, tum per

Dissert.
con in
material.
tom. 2.
p. 3. §. 1.
§. 9.

res existentes ea in nobis idea excitatur, quam vulgo de spatio habemus (§. 196. sch.): ergo ut intelligamus actu dari spatium reale, non aliud requiritur quam ut intelligamus actu dari aliquod extensem continuum, quo corpora actu recipientur, & certo inter se ordine disponantur, ac connectantur.

Coroll. Igitur etiam si non intelligimus actu dari aliquod continuum extensem, in quo corpora actu recipientur, & certo inter se ordine disponantur, ac connectantur, non intelligimus actu dari spatium reale.

CXCIX. *Posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt; intelligitur actu dari spatium reale.* Ut intelligamus actu dari spatium reale, non aliud requiritur, quam ut intelligamus actu dari aliquod extensem continuum, in quo corpora actu recipientur, & certo inter se ordine disponantur, ac connectantur (§. præc.): sed posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, intelligitur actu dari aliquod extensem continuum, in quo corpora actu recipientur, & certo inter se ordine disponantur, ac connectantur: ipsa quippe corpora sic continue disposita hoc extensem efficiunt: ergo posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, intelligitur actu dari spatium reale.

CC. *Sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatium reale.* Sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari extensem aliquod continuum, in quo corpora actu recipientur, & certo ordine inter se disponantur, & connectantur (conf. §. præc.); sed si non intelligitur actu dari extensem quoddam continuum, in quo corpora actu recipientur, & certo in-

ter se ordine disponantur, ac connectantur, non intelligitur actu dari spatum reale (§. 198. cor.): ergo sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatum reale.

*Spatium
reale est
ordo si-
multa-
neorum.*

CCII. *Spatium reale est ordo simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua.* Illud certe est spatium reale, quo duntaxat posito intelligitur actu dari spatum reale, & quo duntaxat sublato non intelligitur actu dari spatum reale; sed posito duntaxat ordine simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua, intelligitur actu dari spatum reale (§. 199.), & sublato duntaxat ordine simultaneorum, quatenus in serie physice continua coexistunt, non intelligitur actu dari spatum reale (§. præc.): ergo spatium reale est ordo simultaneorum, quatenus coexistunt in serie physice continua.

Coroll. 1. Spatium igitur reale pendet a coexistentibus simultaneis, ac proinde essentialiter relativum est, iisque sublatis auffertur (conf. §. 197. cor.).

Coroll. 2. In quovis ente composito datur ordo quidam simultaneorum: non item in simplice; igitur illi, non huic, inest spatium reale.

Coroll. 3. Cum ens non habet alia in serie physice continua coexistentia, nequit esse in spatio reali: ita mundus, cum pro uno ente spectatur, non est in spatio reali: istud tamen in se continet.

Quid cir-Schol. Ens, in quo spatum reale inest, dicitur implere spatum, seu *replete*, vel ut veteribus placuit, *circumscriptive* existere in spatio: igitur omne ens compositum replet spatum, & circumscriptive existit, non autem ens simplex, cui propterea existentia *definitiva* tribuitur; *definitive* enim existere dicunt, quod ita existit, ut ipsius

diversæ partes non commensurentur diversis partibus spatii imaginarii immensi: nempe cum ens replet spatium, tum in spatio imaginario concipimus partem immobilem ejusdem extensionis, quæ ut integro enti respondet, ita siugulæ ejus partes singulis totius entis partibus correspondere, ac vellut commensurari cogitantur. Jam vero i-stud in ens simplex, quod nullam partem realem admittit, convenire minime posse in aperto est.

CCII. Dixi de spatio imaginario (§§. 196. Quid spatiū plenum, & vacuum? De rer. nat. l. 1. v. 330. seqq.) 197), dixi etiam de spatio reali (§. præc.) hoc frequenter *plenum*; illud *vacuum*, vel *purum* compellatur, ab Epicuro autem, & Lucretio *inane*. Est tamen aliquid, licet permodicum, inter notionem spatii imaginarii, & notionem vacui, tametsi res sit eadem, discrimen: nimirum cum spatiū imaginariū concipimus ut extensum infinitum; *vacuum* nobis repræsentamus, ut capacitatē recipiendi alicujus corporis vague, & indeterminate sumti; id est: *vacuum* est spatium, in quo actu nullum est corpus, attamen quoddam esse potest.

CCIII. *Vacuum est possibile.* Imprimis enim potest Deus omnem corporum mundanorum motum impedire, eaque in perfectissima quiete constituere, atque ex iis unum vel alterum annihilare; atqui in hoc casu foret spatium aliquid sine corpore, adeoque *vacuum*; corpora enim circum quiescentia ingressioni omnis alterius corporis obstarent: ergo *vacuum* est possibile. Vide Gassendum. Ponamus deinde sublata omni rerum universitate duo tantum corpora, vel duos homines solum a Deo procreari, ut jam supra innui, quæque hypothesis nullam omnino contradictionem involvit: poterunt utique duo hæc corpora vi quacumque impulsa ad se accedere, rursusque recedere; poterunt idem præ-

Vacuum est possibile?

Phys. sect. 1. l. 2. c 2.

stare duo illi homines; risu certe dignus foret, qui contenderet, duos hos homines ita arctissime cohæsuros esse, ut unus ab altero divelli nequeat. Jam vero hoc in casu inter duo corpora, vel inter duos homines vacuum interponeretur. Et denique quid prohibet, ut fingamus mundum hunc ante mille annos a Deo in nihilum redactum fuisse, & præsente hoc momento rursus condi? anne dices inter destructionem, & iteratam creationem nihil temporariæ extensionis intercessisse, sed hanc illi prorsus contiguam esse? ita igitur quoque in vase quodam, destruncto omni corpore interposito, daretur extensio vacua spatii; neque latera sese hoc ipso contingenter.

Essai concern. l'entend. hum. liv. 2. ch. 13. *Schol.* Idem probat Lockius ab idea clara, & distincta, quam de spatio ab omni corpore vacuo animo conformare valemus; certum quippe est, omne id possibile esse cuius idea clara, & distincta a nobis obtineri potest; cum omne idearum nostrarum objectum in possibile, & existens rectissime distribuatur (§. 51. cor. 2. log.).

& datur actu extra mundum? *CCIV. Vacuum extra mundum actu datur.* Mundus non est extensionis infinitæ, quemadmodum alias commonstrabo: ergo nihil prorsus vetat, quo minus Deus adjectis novis semper, & novis corporibus illius amplitudinem augeat: atqui si ita sit, datur extra mundum actu quædam capacitas recipiendi corpora a Deo procreanda, quæ ipsam notionem vacui constituit (§. 202.): igitur vacuum extra mundum actu datur.

Loc. cit. *Schol.* Lochius mihi jam sæpe laudatus ex mundi limitatione ita argumentationem instruit: si homo vivens a Deo ad extremos mundi limites transferretur, posset hic ibi constitutus manus suas in altum tollere, posset quoque earum digitos divericare; jam quæso, quid distantes inter digitos intercedet? Quo brachia extenta ponentur?

Nonne apertissime vides, necesse, ut adsit spatium sine corpore? Vel si hæc omnia fieri posse negaverit, edic, quale futurum sit impedimentum, internumne in homine ipso, an externum? Et si hoc: utrum substantia, vel accidens, utrum aliquid vel nihil resistit? Vim hujus argumenti optime perspexit Cartesius acerrimus spatii vacui hostis, utque se ab ea tutum præstaret, admirabilem pontem excogitavit, dicendo: *extensionem mundi indefinitam esse.*

At ludere hoc est, non item philosophari, quid enim? Vel extensio mundi comparata ad nos tantum, vel reapse, & in se infinita est. Si primum: suis ipsa terminis, quos nos quidem assignare nequimus, constringitur, ac proinde argumentum toto suo pondere urget; si alterum: infinita est; cur igitur id aperte non fatetur? Cur dubio utitur vocabulo? Sed parcendum viro nuper adeo e peripateticorum schola egresso; apud ipsos siquidem in consuetudinem abierat ambiguis id genus responsionibus sese contra hostium incursiones armare.

Princ.
phil. p. 2.
§. 21.

CCV. *Vacuum actu datur in hoc mundo.*
Cum omnia hujus mundi entia composita, si-
ve corpora ex entibus simplicibus conflentur
(§. 177.), hæcque, nisi compenetrentur, quo
casu corpus constituere non possent, in cer-
ta quadam distantia cohærere debeant (§. 192.
corol. 2.), necesse est, ut inter duo quævis
entia simplicia vacuum quodpiam, tametsi
exiguum, intercedat; atqui si ita, vacuum
utique in hoc mundo datur; igitur assertioni
sua constat veritas.

*quin & in
hoc mun-
do.*

Schol. Non minoris roboris sunt rationes, quas
physici ex impossibilitate motus in spatio
perfecte pleno; ex diversa corporum mun-
danorum gravitate, ac pondere; ex æqua-
bili astrorum motu, & stupenda luminis a
stellis fixis ad nos usque propagati celerita-

Satis fit
objectis.

te petunt: in his tamen, ne in alie nam messem falcem immisisse videar, non immorabor; sed Cartesii jam, quæ meæ partes sunt, aliorumque objectis, ut satisfaciam, operam dabo. Ajunt:

1.) Si spatium vacuum esset possibile, daretur illud in sphæra aliqua, in qua ponimus omne corpus a Deo annihilari; sed ita nequaquam est; nam dicta in hypothesi, ait Cartesius, „respondendum est vasis latera sibi invicem fore contigua. Cum enim inter duo corpora nihil interjacet, necesse est, ut se mutuo tangant.

R. Cum inter duo corpora nihil interjacet, *nec iis immotis quidpiam interjacere potest*, fateor, necesse esse, ut se mutuo tangant: non vero, cum, etiamsi nihil interjaceat, *iis tamen immotis aliquid interjacere*, sive interponi potest (§§. 190. 191. cum schol.). Ad verum nempe, & realem corporum contactum satis non est, ut nullum corpus, seu spatium plenum intercedat, sed requiritur etiam, ut nullum adsit spatium vacuum, siue ut iis non motis nihil interponi possit. Certe sine temeritate negari nequit, posse a Deo in sphæra omne corpus, persistente tamen ejus figura concava, destrui; nam ipse fatetur Cartesius, *nullam quidem esse connexionem inter vas, & hoc, vel illud corpus particulare, quod in eo continetur*. Quod autem addit, maximam, ac omnino necessariam esse inter vasis figuram concavam, & extensionem in genere sumtam, id quidem non inficior, siquidem extensio ea vel *vacua*, vel *plena* esse potest: neque enim ut ille falso putat, in extensione essentialia corporis constituenda est; secus quippe aut mundus foret infinite extensus, aut extra mundum, id est, extra omnia corpora corpus extaret.

Ibid.

2.) Manifeste repugnat, ut distent sive ut

*Princ. phil. p.
2. §. 18.*

inter ipsa sit distantia, & tamen ut ista distantia sit nihil; quia omnis distantia est modus extensionis, & ideo sine substantia (*intellige corpore*) extensa esse non potest.

R Distantia dupli ratione considerari potest: primo cum Lockio ea est ipsum spatium secundum solam longitudinem spectatum, ac proinde uti spatium vel plenum, & reale, vel vacuum, & abstractum est: ita quoque distantia alia erit vacua, alia plena, seu realis. In hac igitur hypothesi inter latera spheræ non erit quidem distantia realis, id est, nihil reale interponetur, erit tamen distantia vacua, in qua aliquid reale poni posset, quo efficitur, ut ipsa vere distent. Secundo considerari debet distantia, ut est quædam relatio duorum entium inter se, quæ ex determinato coexistendi modo oritur (§. 119. schol.) a quo entia realiter distantia denominantur. Probe igitur advertendum, has duas enunciationes nequaquam sibi opponi, ac propterea simul veras esse posse: *parietes hujus sphæræ realiter distant: inter parietes hujus sphæræ non intercedit distantia realis:* quod quamquam ex sch. cit. satis manifestum sit, tamen rursus illustrare juvat. Cum duo parietes coexistunt, necesse est, ut certo quodam, & reali modo sibi coexstant: hic modus realis alias est, quando inter ipsos nihil reale existit, nec existere potest; & alias, ac diversus, quando inter eos aliquid reale vel actu ponitur, vel saltem, iis nempe immotis, poni potest: prior efficit, ut denominentur contigui: posterior, ut distantes dicantur, & quia uterque modus realis est, parietes hi vel se realiter contingunt, vel a se realiter distant. Jam vero patet ex his, nihil referre admodum, qui efficit, ut parietes coexistentes dicantur distantes, seu actu aliquid inter ipsos interja-

ceat, seu non, modo aliquid interjacere iis immotis possit; semper enim manet idem modus realis, & omnino diversus ab illo, qui eos denominat contiguos: ex quo ulterius sequitur, posse parietes vere, ac realiter distare, tametsi eos inter non sit realis distantia, modo sit abstracta, seu vacua; nam idem modus coexistendi realis perseverat in parietibus annihilato omni corpore intermedio, qui ante fuit, quique eos distantes denominat, ponitur quippe actio divina solum in corpora interposita, non autem in parietes tendere. Atque inde colliges, distantiam non esse modum extensionis, quo vocabulo Cartesius corpus inteligit; sed esse relationem oriundam **ex** modo duorum corporum, vel aliorum entium sibi coexistentium; ac proinde non posse quidem esse sine corporibus sibi coexistentibus, posse tamen esse sine corpore inter duo coexistentia actu interposito.

Zbid. 3.) Si dicta in hypothesi sphæræ latera sibi non essent contigua, nihilum, quod intercederet, foret extensum; sed *nihil* *nulla est extensio*: ergo necesse est, ut in sphæra annihilato omni corpore medio latera coeant, & sibi contigua efficiantur.

R. Nihili nullam esse extensionem positivam & propriis terminis constrictam, esse tamen extensionem negativam, & alienis terminis mensurandam. Nimirum in ejusmodi sphæra illud nihilum contentum eatenus foret extensum, quatenus aliquod extensum reale, sive ordo simultaneorum tantæ magnitudinis illuc locari posset, & termini, quibus illud nihilum concluderetur, non essent proprii ipsius nihil, sed essent ipsa sphæræ latera. Pertinent huc ea, quæ dicta sunt (§. 197. sch. 1. n. 1 & 2.). Sume paritatem ab umbra, quæ nihil positivi est, & tamen extensa, magna, parva dicitur,

comparate nimirum ad terminos alienos corporum circum positorum, quibus concluditur: vide Moniglia. Ceterum est aliquod inter nihilum, & vacuum discriminem, quod negligere haud oportet, cum nihilum cogitamus, nulla se res menti nostrae objicit, praeter absentiam omnis rei; at vero cum vacuum cogitamus, repræsentamus nobis & superficiem corporum eorum, inter quæ illud intercedit, & potestatem mensura quadam spatium illud exprimendi, quæ tamen mensura citra respectum ad corpus, quod ibidem locari potest, cogitari nequit: enspatii vacui ideam distinctam ab idea nihili.

4.) Solum extensum quodpiam inter duo entia intercedens efficit, ut ea distent: sed inter latera talis sphæræ nullum intercederet extensum: ergo. Et addunt: absolute impossibile est, ut illa entia a se non distent, inter quæ actu intercedit extensum reale: ergo etiam ab opposito absolute impossibile est, ut illa a se distent, inter quæ actu non intercedit extensum reale.

R. d. M. Solum extensum vel *concretum*, vel *abstractum* inter duo entia intercedens &c.

c. M. solum extensum *concretum*, seu nempe reale, n. M. sic d. m. n. con. Ratio ex adhuc dictis satis est manifesta; nempe hoc in casu inter sphæræ parietes non intercederet extensum *concretum*, sive reale, quia nullum corpus actu interponeretur; intercederet tamen extensum *abstractum*, seu vacuum, cum possibile sit, ut parietibus immotis corpus quodpiam extensum interponatur. Ad id, quod additur, ratio dispar assignari potest: hoc ipso solum, quod extensum reale inter duo entia interponatur, jam satis impeditur, ne ea sibi contigua sint (§. 190.), unde necessario consequitur, ut eadem a se distent; contra ex eo, quod nullum extensum reale inter duo entia in-

Dissert.
contra
material.
t. 2. p. 3.
s. I. §. 8.

terjaceat, nondum concludi potest ea sibi esse contigua, adeoque a se non distare. Ejus rei ratio est, quod ad duorum entium contiguitatem duo requiruntur, nimirum ut nullum extensum reale actu interponatur, & neque iis immotis interponi possit: jam vero, cum duo ad rem quampiam constitutiva requiruntur, uno eorum posito res ipsa nondum ponitur, tametsi vel uno sublatore eadem quoque tollatur.

Récueil. 5.) Leibnitius putat vacuum cum idea mundi
de divers. optimi pugnare; at vero imprimis mundum
piec. p. 1. eo, quo ipse statuit sensu, nequaquam optimum
écrit. 5. esse alias demonstrabo: deinde ad mundum
a M. optimum pertinet utique corporum
Clarke. mundanorum motus: quare cum in spatio
 perfecte pleno nullus fieri motus queat, vacuum cum notione mundi optimi adeo non pugnat, ut etiam in ea includatur.

Phys. gé- Denique, ut summatim omnia complectar, ajo
ner. p. 1. cum Fortunato a Brixia, *spatium vacuum*
f. 3.9.75. *non esse aliquid reale positivum; sed quemadmodum olim dixerat S. Augustinus,*
spatiosum nihil. Reale tamen dici potest sumendo reale pro omni eo sive positivo, sive negativo, quod ab intellectu non dependet. Nullo quippe cogitante intellectu distant a se mutuo puncta a, b ... Extensum porro dicitur spatium, mensurabile &c. eodem plane sensu, quo extensa et mensurabilis vocatur *umbra* ... Extensum nempe, & mensuræ capax dicitur spatium, quatenus extensum, & mensurabile corpus potest in ipso spatio locari ... Hæc porro cum ita sint, liquido appareat, frustra quæri, num spatium substantia sit, vel accidens. Manifestum enim est, neutrum horum esse, aut censeri posse spatium, utpote nihil esse positivum, quod duntaxat in substantiam, & accidens potest jure distribui ... Nullatenus demum officit, spatium etiam ab iis

De Extenso, Continuo; et Spat. 175
qui illud amittunt, imaginarium nuncupari.
Siquidem non ideo dicitur imaginarium,
quod ab imaginatione dependeat, sed quod
illius dimensiones, ut optime ait Cl. Gas-
sendus (a), instar corporearum, quæ in (a) Sect.
sensus cadunt, dimensionum imaginemur. 1. phys.
Videatur quoque Huetius (b). Sed satis de (b) Cen-
spatio; nunc de loco, & situ, uti & de sur. phil.
tempore, & motu nonnulla. Cartes. e.
5. n. 3.
seqq.

C A P U T VII.

De Loco, Tempore, et Motu.

CCVI. Cum plura entia simultanea in serie Observa-
physice continua coexistunt, atque sic ordi-
nata spatium reale constituunt, quodvis ens
modum quemdam realem, ac determinatum
ceteris coexistendi habet, qui efficit, ut ens
sit ibi, ubi est, quique fundamentum præ-
bet realis relationis distantiae, prioritatis, aut
posterioritatis, quæ est inter duo quævis en-
tia; neque enim alia est ratio, quod duo en-
tia determinatam illam a se distantiam nunc
obtineant, quam quod eos determinatos sibi
coexistendi modos habeant, quibus mutatis
ipsa quoque mutabitur.

CCVII. Per modum realem, ac determina-
tum, quo ens unum ceteris simultaneis in
eadem serie physice continua coexistit, sa-
tisfit quæstioni: ubi ens sit. Cum huic quæstio-
ni respondendum est, teste experientia refe-
rimus ens, de quo quæritur, ad alia proxime
coexistentia, ejusque ab illis distantiam, prio-
ritatem, posterioritatem, & alias similes re-
lationes investigamus, ac determinamus; quin
& locum entis, & permansionem illius in lo-
co ex immutatis his relationibus dijudicamus,
cumque hæc præstitimus, quærenti locum
entis satisfactum est; sed hac ratione aliud
non agimus, quam quod determinatum mo-

dum hujus entis ceteris coexistendi, qui nempe harum relationum fundamentum præbet (§. præc.), investigemus, ac determinemus: igitur per modum realem, ac determinatum, quo ens unum ceteris simultaneis in eadem serie physice continua coexistit, satis fit quæstioni, ubi ens sit.

Schol. Ita quærenti, ubi sit liber *a* in serie librorum continua, satisfactio, cum dico librum *a* esse altero *b* priorem, altero *c* posteriorem, tantum *a d*, tantum ab *e* distare: idem patet ex modo, quo locus desideratus in mappa geographicâ designari solet.

Locus realis est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua. Locus realis est id, per quod satisfit quærenti, ubi ens sit, ut per se omnino manifestum est; sed per modum realem, ac determinatum coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua satisfit quærenti, ubi ens sit (præc.): ergo locus realis est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris simultaneis in eadem serie physice continua.

Coroll. 1. Locus igitur realis cuiuslibet entis pendet ab aliis proxime positis; quapropter essentialiter *relativus*, & *absolutus* non realis, verum imaginarius est, quemadmodum de spatio dixi (§. 301. cor. 1. 197. sch.)

Coroll. 2. Locus cuiusvis entis determinatur per distantias, adeoque per lineas rectas, quæ ab aliis ad illud duci possunt (§. 191.), & ibi est, ubi rectæ concurrunt.

Coroll. 3. Locus non habet internam cum ente connexionem, neque in eo quipiam mutare potest: est igitur externa solum entis determinatio (§. 58.), qua mutata ipsum proprie non mutatur (§. 118.).

Schol. Cum extremitates linearum, quæ locum determinant, puncta sint, locus entis instar puncti consideratur; inde optime Car-

tesius observante Wolfio monuit, nos, cum de loco entis agimus, non tam figuræ, & magnitudinis, quam positionis solius rationem habere; quo etiam fit, ut corpus unum in alterius locum succedere affirmemus, tametsi multo majus, aut minus sit, modo eundem coexistendi modum obtineat: id quod astronomis quoque perfamiliare est. Porro quæ ratio est inter partem, & totum, ea quoque videtur inter locum, & spatium: concipimus enim spatium velut ex multis locis coalescens. Locus nimirum absolutus, & imaginarius est determinata pars spatii imaginarii, qnæ enti cuiquam respondet, quæque ab eo, si compositum sit, repletur; locus autem realis est pars spatii realis: cum vero spatium reale sit ordo simultaneorum in serie physice continua coexistentium, non videtur in hoc ordine pars alia assignari, aut concipi posse, quam determinatus cujusvis entis ceteris coexistendi modus: ex his enim diversis, sed tamen pro quovis ente determinatis coexistendi modis oritur ille ordo, quem spatium reale dicimus. Deinde tametsi locum imaginarium absolutum dixerim, id tamen non ita accipendum est, quasi ille sub nullo respectu relationem involvat. Nempe universim locus concipi nequit sine relatione ad puncta quædam, vel entia, quæ cogitatione saltem nostra fixa sint, & permanentia; jam vero entia hæc fixa vel realia sunt, vel solum possibilia, quæ intra, vel extra hoc universum poni posse cogitamus; si primum, adest relatio realis distantiarum, atque adeo etiam locus realis; si alterum, non habetur relatio realis distantiarum, cum non adsint entia, quæ realiter distent, nec proinde locus realis, sed imaginarius solum, aliquo tamen respectu relativus ad entia, quæ poni posse concipiuntur. Certo relatio ad mere pos-

sibilia ob terminum mere possibilem, non realis, sed solum possibilis dicenda est; cum enim omnis relatio constet subiecto, termino; et ratione fundandi, nequit ea vere realis esse, nisi omnia hæc tria pariter realia sint, alias posset quoque actus esse realiter consentaneus, vel dissentaneus legi, quæ non reapse extat, sed solum possibilis est. Atque hinc toti universo, cum pro ente unico accipitur, vero sensu locus realis tribui nequit: competit ipsi tamen imaginarius, vel abstractus comparate ad entia extra ipsam possilia, quibus, si producentur, certo quodam, ac reali modo coexisteret. Denique cum loco adhuc explicato confundi non debet locus, a communi loquendi consuetudine *vulgaris* dictus, per quem determinata quæpiam rerum series indicatur, cui res aliqua extrinsecus solum præsens est, ita videlicet, ut ad eam seriem tamquam pars non pertineat: ita dicimus Cajum in templo, schola, horto, esse.

Situs
modus
coexi-
stendi in
interru-
ptis.

CCIX. *Situs est modus realis, ac determinatus cæteris simultaneis in serie interruppta coexistendi.* Cum de entibus remotis, ac distantibus agimus, iidem non locum, sed situm ad sese tribuere vulgo solemus: ita enim cùjusvis stellæ comparate ad tellurem situm aliquem determinamus: igitur quod in entibus in serie physice continua coexistentibus locus est, id in entibus in serie interrupta positis situs vocatur; atque in illis locus est realis, ac determinatus modus coexistendi (§.præc.): ergo etiam situs est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris in serie interrupta positis.

Coroll. I. Quæ de loco dicta sunt, ad situm quoque pertinet; unde & situs per distancias, quas lineæ rectæ metiuntur, designandus est, & quæ ab ente tertio eamdem habent distantiam, eundem situm comparate ad illud obtinent.

Coroll. 2. Si ens unum aliquod in serie quādam continua positum ad alterum remotius ejusdem seriei referatur, ea pro interruptis haberi possunt: quare & iis situs congrue tribuitur. Inde vero patet in usu horum vocabulorum, loci, & situs, magno non esse opere laborandum.

Schol. Sunt quædam, quæ contra stabilitam loci realis definitionem pugnare videntur. Occurritur duabus.

1.) Admissa hac definitione sequeretur ens, quod unicum existeret, non fore in loco reali; atqui hoc videtur absurdum esse, quod enim non est in loco reali, est nusquam, & quod nusquam est, non existit, unde ens tale existeret, & simul non existeret.

R. c. M. n. m. & d. rationem adjectam, quod non est in loco reali, est nusquam hoc sensu quod determinato, ac reali modo simultaneis non coexistat. *c.* hoc sensu: quod absolute non existat, *n.* Imprimis ens, quod unicum existeret, quale est mundus totus pro uno ente sumptus, esset in loco absolute imaginario, cum illi pars spatii imaginarii ejusdem extensionis respondere concipiatur: esset quoque in loco respectivo ad alia entia possibilia, quibus, si ponerentur, hoc ipso certo modo coexisteret. Quia tamen neuter horum locorum realis est, neque ens illud foret in loco reali. Deinde esse nusquam duplicem sensum continet; jam excludit determinatum, ac realem modum coexistendi simultaneis, jam vero ipsam actualem existentiam: illud in hoc casu verum foret: non item alterum. Neque vero mirum cuiquam videatur inter hæc discri-
men a nobis ponī; ut enim jam Lockius ad-
vertit, existere duntaxat non habet neces-
sariam connexionem cum loco reali, sed ea
primum oritur ex hypothesi, quod plura si-
mul existant: aliud nimirum est existere;
aliud coexistere; sive, ut ille quidem est,

situari, vel *locari*. Si igitur unicum ens a Deo procrearetur, illud quidem existeret per se, & in se, non tamen *situaretur*, vel *locaretur*, id est, non existeret in loco reali: cum non haberet realem modum coexistendi simultaneis, quæ nulla forent. Exemplum sume a numero, si ens unicum existeret, nec existeret numerus realis, nec ens illud esset in numero reali: ita quoque in hac hypothesi nec daretur locus realis, nec ens illud foret in loco reali.

2.) Si locus realis esset determinatus modus coexistendi, sequeretur nunquam dari posse locum realem absque ente; sed id a vero abhorret; possum quippe absque contradictione concipere locum realem, & tamen negare posse in illo esse ens.

3. c. M. n. m. Possum quidem absque contradictione concipere locum realem, & negare posse in illo esse ens quoddam *determinatum*, at nequeo excludere aliquod ex omnibus *indeterminate* sumtum. Fieri nempe diversis ex caussis potest, ut corpus quoddam determinatum *a* in loco reali *b*, quem concipio, existere nequeat; ac fieri non potest, ut locus quidam realis sit possibilis, in quo nullum prorsus corpus ex omnibus possibilibus existere queat; nam dum pono locum realem *b* esse possibilem, pono *explicite* possibilem esse modum realem *a* coexistendi ceteris, & cum pono in loco reali *b* nullum posse corpus existere, pono *implicite*, nullum possibile esse corpus, vel quocumque ens tali modo affectum, quod æque repugnat, ac si, dum affirmarem dari posse numerum realem, negarem simul existere posse res numerandas.

3.) Fingamus, ajunt, Deum procreasse omnia possibilia, & posita hac hypothesi omnia versus unam plagam, dextram, aut laevam moveri: mutabunt igitur locum realem, &

tamen nullus realis modus coexistendi mutabitur; neque enim inter se distantiam mutarent, cum omnia simul moveri ponantur, neque præter omnia possibilia aliud possibile concipi posset, a quo distantia quædam determinanda foret; sequitur igitur, locum realem in reali coexistendi modo nequaquam constitui.

¶ Propitio Numine evenit, ut hypothesis hæc multis ex capitibus secum ipsa pugnet; imprimis enim absolute fieri nequit, ut omnia possibilia a Deo procreentur, infinitum namque exhaustiri nequit: deinde, qui ponit omnia possibilia actu simul existere, ponere simul debet omnia loca possibilia jam actu esse occupata; hoc vero posito omnis motionis impossibilitas inducitur. Sed demus nonnihil adversariis, & abstrahamus interea ab his repugnantiis, tum autem hypothesis fere coincidet cum ea, quam Clarkius olim Leibnitio objecit: ponamus, ajebat is, Deum totum hoc universum vel ita creasse, vel ita nunc transferre, ut manente reliquo universi ordine sol noster eum in locum perveniat, quem nunc stella Sirius occupat; quid igitur, quærerit, nonne hoc in casu ordo, modusque coexistendi entium mundanorum non mutaretur, mutaretur tamen locus & totius universi, & singulorum in eo entium? At vero cum universum non sit in loco reali, quemadmodum supra dixi, locus, qui dicta in hypothesi mutaretur, non realis, verum solum imaginarius foret, possetque is determinari ex mutatione distantiarum a corpore quodam, quod extra totum universum immobiliter ponи conciperetur.

4.) Determinatus modus coexistendi simultaneis non est immobilis; sed locus realis omnium consensione immobilis est: potest quippe ens unum occupare locum ab altero relicum: igitur determinatus modus coexistendi non est locus realis.

R. d. M. hoc sensu : quod remaneat amoto
inde ente, c. M. hoc sensu : quod movea-
tur cum ente moto n. M. d. sic m. n. cons.
Locus realis nequit alio sensu dici, aut es-
se immobilis, quam hoc : quod cum ente
moto non moveatur, quod optime in hac
sententia salvatur ; nam quamprimum ens
quodpiam moveri incipit ; perit ille deter-
minatus modus coexistendi simultaneis, sin-
gulisque dein momentis ens illud novum
semper, & novum acquirit, atque ideo de
loco in locum transferri dicitur. Locum au-
tem realem ita esse immobilem, ut amoto
ente remaneat, vehementer nego ; seque-
retur enim inde locum realem esse absolu-
tum, contra quem eadem rationes pugnant,
quibus supra spatium absolutum reale non
esse evici (§. 197.). Neque vulgaris per-
suasio quidquam obstat ; nam immobilitas ea,
quæ secundum vulgarem ideam loco tribui-
solet, non ad locum realem, sed ad ima-
ginarium, id est, ad eam partem spatii i-
maginarii, quæ enti respondere concipitur,
pertinet : concipimus nempe idem punctum,
vel eamdem partem spatii imaginarii, quæ
prius enti in loco *a* existenti respondebat,
fixam, ac immobilem remanere, nuncque
aliam ejusdem spatii partem eidem enti jam
in loco *b* existenti respondere, neque id
sine fundamento : possibile enim est, ut
illuc statim aliud ens ponatur. Atque inde
quoque patet, quo sensu possit ens locum
ab alio relicum occupare. Ens nimicum
eatenus in locum alterius succedit, quatenus
similem modum coexistendi simultaneis ob-
tinet, quo fit, ut illi idem punctum spatii
imaginarii, quod antea alteri respondebat,
jam respondere concipiamus : obtinet igitur
ens locum imaginarium *eundem numero*, &
locum realem *eundem specie* cum eo, qui
ab altero ente relictus est ; neque enim i-

dem numero modus ab uno ente ad alterum transire potest, cum accidens extra substantiam existere nequeat, sicut non possum rotunditatem ex uno marmore transferre ad aliud.

- 5.) Nullum ens potest locum realem mutare, quin moveatur; sed si locus realis foret determinatus modus coexistendi, fieri posset, ut ens locum realem mutet, nec tamen moveatur: fieri siquidem potest, ut circa ens *a* in quiete positum alia *b. c. d.* moveantur, quo casu ens *a* semper acquiret alium determinatum modum coexistendi ipsi *b. c. d.* Quin generatim nulla mutatio loci concipi potest sine motu: ergo.

R. d. M. Nullum ens potest locum realem *active* mutare, quin moveatur, *c. M. passive n. M. & sic d. m. n. cons.* Ens *passive* locum realem mutat, quod ex se ad hanc mutationem nihil confert, sed aliorum duntaxat entium, quæ moventur, occasione novum modum iisdem coexistendi acquirit: illud vero *active* locum realem mutat, quod, cum in se habeat ejus mutationis rationem sufficientem, ad eam reapse concurrit. Illud fieri posse lubens admitto, non item hoc; at enim generatim nulla mutatio loci concipi potest sine motu; ita sane: at sine motu, qui sit in aliquo ex pluribus entibus, non vero, qui determinate sit in eo ente, de cuius loci mutatione quæritur. Cum primum situm plurium entium inter se mutatum fuisse observo, rite colligo motum aliquem in uno, vel altero horum entium contingisse, sed quod illud sit, nondum exinde constat: investigari igitur debet, in quo ente hujus mutationis ratio sufficiens continetur, quo detecto constabit illud *active*, reliqua *passive* locum realem mutasse. En itaque quodvis potest locum realem *passive* mutare, quin moveatur, non autem *active*.

Ratio est, quia, cum motus sit continua loci mutatio cum ratione sufficiente in ente, ut infra dicam, omnis motus est activa loci mutatio; si igitur ens active locum realem mutaret, quin moveatur, sequeretur illud moveri, & non moveri: contra nullum absurdum ex eo oritur, quod ens passive locum realem mutet, quin moveatur; immo id per se se consequitur; modus enim, quod ens *a* enti *b* coexistit, non solum ab ipso ente *a* sed a positione quoque entis *b* pendet, unde sive ens *a*, sive ens *b* moveatur, ipse quoque mutatur. Neque vero hic etiam obest, quod idea vulgaris omnem loci mutationem cum motu conjunctam repræsentare videatur; ea enim rursus, ut supra de immobilitate dixi, non tam ad locum realem pertinet, quam ad imaginarium, qui omnino a nullo ente mutari potest, quin ipsum moveatur: satisfit illi præterea per hoc, quod neque ulla loci realis mutatio fieri queat sine aliquo motu, qui sit vel in hoc vel in ente aliquo alio.

Dices fortasse: nequit ens locum imaginarium mutare, quin moveatur: igitur nequit etiam ens locum realem mutare, quin moveatur. Sed ratio dispar in eo est; quod locus imaginarius, cum absolutus sit, a nullo alio pendeat, quam ab hoc ente, a quo repletur; unde consequens est, ut ratio sufficiens, cur locus imaginarius mutetur, vel in ipso loco, vel in ente ibi collocato contineatur; jam vero primum esse nequit, cum locus imaginarius nihil sit reale, alterum autem, si sit, hoc ipso ens illud movetur, nam motus est mutatio loci, cuius ratio sufficiens est in ente: igitur in aperto est, omne ens moveri, quod locum imaginarium mutat. Ab opposito locus realis hoc ipso, quod sit essentialiter relativus, non tantum ab hoc ente, sed etiam a vicinis coexistentibus pen-

det, ut jam sæpius dictum est : quare ejus mutationis ratio vel in hoc ente, vel in quo-vis alio, quod relationis terminum constituit, Coatineri potest, quo sit, ut modus realis coexistendi alicujus entis etiam quiescentis toties mutetur, quoties alterum, ad quod istud refertur, moveri incipit. Ad extremum & istud adnotasse juverit, inter mutationem loci realis, & ejus amissionem magnum interesse discrimen ; mutari nimirum locus realis nequit, nisi una aliis acquiratur, quod ut fiat, necesse est, ut ex pluribus entibus coexistentibus unum saltem moveatur : sed amitti locus realis absolute potest absque omni motu ; si enim uno ente persistente omnia reliqua annihilarentur, ens illud non foret amplius in loco reali, cum non haberet amplius, quibus coexisteret.

CCX. In continuo successivo (§. 183. cor.) In successione entium continua datur ordo ; plura entia in serie continua ita disponuntur, ut repugnet duo eorum simul existere, utque tamen semper uno desinente alterum existere incipiat. Secundum hanc igitur regulam ordinum successivorum loca eodem modo determinantur, & haec determinatio similitudinem parit in modo, quo entia successiva se consequuntur : quare cum id genus similitudo sit ordo (§. 77.), in entibus continua serie succedentibus ordo quispiam extat.

CCXI. *Tempus reale est ordo successivorum in serie continua.* Id est tempus reale, ex quo petitur responsum, ut satisfiat quæstioni, quando, vel quamdiu res quæpiam extiterit, existat, aut exitura sit ; sed id est ordo successivorum in serie continua : ex multitudine enim rerum succedentium judicamus longitudinem aut brevitatem temporis ; & illi, qui ad nullam rerum successionem animum advertunt, quod contingit profunde dormientibus, aut quorum cogitatio in uuo obiecto

cum voluptate defixa est, tempus etiam longius interea effluxisse non percipiunt; sic quoque actionem aliquam præteritam ad tempus eo remotius relegamus, quo plures actiones successivas inter illam, & præsentem intercessisse, aut intercedere potuisse advertimus: ergo tempus reale est ordo successivorum in serie continua.

Coroll. 1. Quo plurium idearum succendentium intra idem intervallum ens quoddam sibi concium est, eo longius judicat esse suum tempus; inde fieri potest, ut animalculum, quod per aliquot solum horas existit, ob velocitatem tamen idearum succendentium sæculum sibi vivere videatur.

Coroll. 2. Tempus numquam totum existit, sed pars solum aliqua, quæ propterea tempus *præsens* vocatur; uti *præteritum* diximus, quod ante existit, & *futurum*, quod postea existet.

Coroll. 1. Positis rebus in continua serie sibi succendentibus ponitur, & iis sublati tollitur tempus reale: ante mundum igitur conditum non fuit tempus reale, verum cum illo incepit.

[Quid
tempus
imagina-
rium?

Schol. Verum tametsi sublati rebus successivi non extet tempus *reale*, sive *concretum*, datur tamen *abstractum*, vel *imaginarium*, quemadmodum dictum est de spatio, quocum tempus maximam analogiam habet; sicut nimirum ibi spatium concipimus, ubi, etsi non actu ponatur, poni tamen potest corpus quodpiam, ita quoque cogitamus tempus esse, cum possibilis est ordo rerum succendentium, licet is reapse non existat; unde tempus istud etiam ante ipsum mundi ortum ponimus, atque regrediendo nullum in eo initium deprehendimus, quemadmodum spatium quoque undequaque infinite extensem est. Concipimus porro tempus hoc *imaginarium*, vel ens *compositum* ex par-

tibus successivis, continuis, nec interne differentibus, & a rebus successivis distinctum, cui tamen eadem coexistant: atque adeo ut continuum quoddam secundum solam longitudinis mensuram extensem: quare ut spatium per corpus mathematicum trine extensem, ita tempus per lineam rectam continuam recte repräsentatur; cum enim puncti fluxu generatur linea, prodit totum quodpiam ex partibus continuis, & prorsus similibus compositum, in quo una solum pars præsens est, quæ per vestigium actuale puncti fluentis designatur, dum interea huic punto ita fluenti res successive coexistunt.

CCXII. *Duratio* est continuata entis existentia, quæ intelligitur vel ex eo, quod ens pluribus in serie continua sibi succendentibus, & quotunque coexistat, vel saltem de se aptum sit, ut ita plexus coexistat, si successiva existerent: ita meam durationem intelligo, quod per conscientiam novi me pluribus sibi continuo succendentibus ideis coexistere. Duratio hæc vel interminata, seu infinita est, & æternitas audit; vel terminata, aut finita, & simplex dicitur, si utrinque terminis concludatur; ævum vero, si initium quidem habeat, fine tamen careat.

Schol. Non attinet partitionem æternitatis in formalem, & participatam adferre, hæc enim altera secum ipsa pugnat, quod alias viderimus. Restat igitur, ut una solum sit æternitas, quæ enti necessario, quod Deum alias dicemus, soli competit (§. 110.) De hac porro Dei æternitate jam a Platonico-rum inde tempore acris inter philosophos juxta ac theologos quæstio agitatur, utrum nimirum in ea successio quædam admittenda sit. Videatur Antonius Genuensis. Mea quidem sententialis hæc facile componitur: *metaph.* imprimis enim certum est, non posse in Deo *l. I. c. 12^a* dari realem status successionem, propter- *q. 100^a*

ea quod ens necessarium immutabile est (§. 120.): deinde tamen nihil vetat, ut ejus durationem ex ordine entium successorum vel possibili, vel reali concipiamus. Plura hac de re in Theologia.

Duratio non est tempus. Duratio in se spectata non est tempus. Duratio in se spectata est entis duntatempus, scilicet continua existentia (§. præc.), tempus autem in successorum ordine consistit (§. 211.): sed continua existentia in se spectata non est ordo successorum: ergo duratio in se spectata tempus non est.

Coroll. Cum æternitas sit duratio, ea tempus recte vocari nequit, tametsi addas infinitum.

CCXIV. Duratio per tempus mensurari potest. Per illud duratio mensurari potest, quod aptum est ad multitudinem momentorum, quæ in continua existentia concipi potest, indicandam (§. 68.); sed tempus, seu ordo plurium sibi in continua serie succedentium aptus est ad eam multitudinem indicandam: ergo duratio per tempus mensurari potest.

Schol. Si nempe mensurabilis sit: nam per se constat durationem infinitam, id est, æternitatem esse immensam (§. 69.). Durationes igitur finitas solum successionibus rerum mensuramus: unde dicimus, res hæc tanto tempore, tot diebus, annis, sæculis duravit; quemadmodum comparate ad spatium dicimus, corpus hoc tot palmas, pedes, orgyas longum, latum, vel profundum est. Quia porro nobis vigilantibus ingens in mente idearum copia datur, quarum aliæ aliis continuo succedunt, haud dubie hæc idearum successio ad mensurandam cujusvis entis durationem inservit, quin ipsa quasi mensura quædam communis, & regula omnium aliarum successionum esse videatur. Unde si res quædam multo citius, aut multo tardius sibi succedant, ac ideæ nostræ, eam

sed per
illud
mensu-
ratur.

successionem nec persentiscimus: ita globus ex tormento ejactus parietes etiam longius distantes uno nobis momento perfringere videtur, ubi contra motum indicis, aut umbræ in horologio nequaquam percipimus. At *Ontolog.* vero, ut optime advertit *Clericus*, si nulla *c. 6.* alia ratio constans, & immutabilis, ac omnibus communis dimetiendæ durationis foret, numquam inter homines de durationum, ipsiusque adeo temporis longitudine conveniret: infelices diutissime viverent; felicium contra brevissima foret vita; scilicet illud poetæ obtineret: *o vita misero longa, felici brevis;* qui vehementi rei cujuspiam desiderio flagrarent, illud ipsum temporis spatium longissimum pronunciarent, quod aliis in suavi rei concupitæ possessione brevissimum appareret, quæ res necessario inter homines commercio summe foret noxia. Quare percommode accidit, ut homines tacito quodam naturæ sensu in communem quamdam, omnibusque vulgo notam durationis mensuram conspirarent. Revolutio hæc est solis, ac lunæ tum diurna, tum annua, quæ uti ab ipsa mundi origine omnibus fuit cognita, ita longo temporis intervallo constans, & æquabilis videbatur: quia tamen decursu temporis observatum est celeritatem solis eclipticam percurrentis multas pati inæqualitates, astronomi solem quemdam fictum substituerunt, qui per æquatorum progrediens periodum suam eodem tempore, quo sol verus, absolveret; hæc deinceps res occasionem dedit, ut humana industria ulterius progressa artem longe utilissimam construendi horologia inveniret, in quibus æquabilis ficti solis motus motu indicis non minus constanti, ac æquabili, designaretur. Vide hic quoque *Lockium.*

CXV. Motus est activa, eaque continua loci mutatio cum ratione sufficiente in ente: & quiescit.

*Essai
concer.
l'ent.*

hum.

liv. 2.

ch. 14.

Quid

motus

quies contra est continua entis in eodem loco perseverantia: ens, quod movetur, vel quantum moveri potest, mobile audit. Cum partes cuiusdam entis relate ad alias in eodem ente locum mutant, oritur motus intestinus, ut fit in aqua bulliente.

Coroll. 1. Motus intestinus in ente simplici locum non habet, neque adeo mutationes ipsius internæ, velut cogitationes, per motum explicari possunt.

Coroll. 2. Fieri potest, ut res eadem comparate ad alias moveatur, dum aliarum respectu quiescit: ita homo sedens in navi communis navis motu quoque abripitur, interea tamen comparate ad partes navis, quiescit.

Coroll. 3. Continua loci mutatio exigit, ut existentiæ entis in loco a succedat existentia ejusdem in loco b, & sic porro: cum igitur series successivorum sit tempus, omnis motus fit in tempore, numquam in momento, ipseque, si ut ens spectetur, est ens successivum.

*Schol. Cum ens ut in motu constitutum sub ea duntaxat ratione spectandum sit, quod continuo locum mutet, eoque nihil conferat aut magnitudo ipsius, aut alia quæcumque qualitas, recte agunt philosophi, dum quodvis mobile ut punctum, præcisis reliquis omnibus, considerant; inde vero ratio petitur, cur spatium a mobili confectum per lineam ductam a punto, ubi motus incipit usque ad illud, ubi is cessat, & per omnia puncta media transeuntem designetur; fluxu quippe puncti linea generatur. Eadem porro linea, cum spectatur, ut secundum eam mobile progredi nititur, linea directio-
nis vocatur, estque recta, si directio aliquo tempore non mutetur, in casu vero opposito curva; ipsa tamen hac curva ex rediis infinite parvis pro quolibet momento datis coalescit, corpus enim, etsi per lineam cur-*

vam moveatur, singulis tamen momentis per rectam abire nititur, quare etiam geometræ curvam ut polygonum infinitorum laterum, id est linearum rectarum infinite parvarum considerant. Denique spatium idem, vel longiori, vel breviori tempore a mobili conficitur: inde notio celeritatis oritur; si enim duo sint mobilia, quorum unum longiori tempore, alterum breviori egeat ad idem spatium percurrendum, illud tardius, hoc citius moveri affirmamus. Est adeo celeritas aptitudo mobilis ad datum spatium dato tempore percurrendum, vel ipsa, ut non nulli volunt, ratio temporis ad spatium: quæ quidem verissima sunt, si de sola motus celeritate sermo sit. At Dariesius monet celeritatis ideam magis universalem esse, eamque ipsis quoque cogitationibus, quæ tamen veri motus non sunt, tribui, teste ipso loquendi usu: quare putat, ejusmodi definitionem seligendam esse, quæ admittat, ut celeritas ad omnis generis operationes successivas applicari possit, quin etiam ex Canzio eadem profert dicendo, celeritatem esse *id*, quo ens certotempore certum operationi suæ scopum attingit, qua quidem probata illico sequitur omnem substantiam, quæ successive agat, cum quadam celeritate agere.

Ont. §.
58. ch.

CCXVI. *Omnis mutatio, quæ fit in ente composito, fit per motum.* Cum ens compositum constet determinata certarum partium conjugatione (§. 171.), omnia, quæ in ipso sunt, adeoque & ipsum idem, invariatumque permanet, quamdiu eadem partes, eadem earum multitudo, idem denique conjunctionis modus, ac situs invariatus manet; ergo ut ens compositum mutetur, necesse est, ut partes aliquæ vel addantur, vel demantur, vel transponantur, vel prioribus ablatis aliæ substituantur; sed nihil horum fieri potest nisi per motum: ergo nulla mutatio in ente composito effici potest nisi per motum.

Ens
composi-
tum mu-
tatur per
motum.

Coroll. Ponamus ens compositum cogitare; erit cogitatio vera illius mutatio, ac proinde in motu partium consistet, quod absurdum est. Sed de hoc alias.

Schol. Ita quoque prætereo alia, quæ de motu a metaphysicis hodie doceri solent; mea enim opinione eorum in physica proprius est locus.

C A P U T VIII.

De Ente Infinito, et Finito.

Quid finitum,
& infinitum?

CCXVII. Quid finitum sit, & infinitum, dixi (§. 40.): illud nimurum limitem, seu defectum ulterioris realitatis habet hoc non. Clare autem inde patet id, quod defectu ulterioris realitatis laborat, non habere actu omnia, quæ in ipso concipi possunt, ac proinde semper eo majus aliquid cogitari posse: igitur *finitum* est, quod non habet omnia actu, quæ habere potest, & quovis *finito* majus alterum in eodem genere concipi potest; *infinitum* contra, quod habet omnia actu, quæ habere potest, & quo majus aliud in eodem genere cogitari nequit.

Coroll. Nec minus perspicuæ sunt propositiones inversæ: quod non habet omnia actu, quæ habere potest, vel quo majus aliud in eodem genere concipi potest, *finitum* est: & quod habet omnia actu, quæ habere potest, vel quo majus in eodem genere cogitari nequit, illud *infinitum* est.

Quod augeri potest, infinitum esse nequit.

CCXVIII. *Quod sine fine augeri potest, infinitum esse non potest.* Quod sine fine augeri potest, tale est, ut eo majus sine fine concipi possit; sed illud, quo majus sine fine concipi potest, sine fine *finitum* est (§. præc. coroll.): ergo quod sine fine augeri potest, sine fine *finitum* est: atqui quod sine fine *finitum* est, *infinitum* esse numquam potest;

secus enim aliquando simul finitum, & infinitum foret: igitur quod sine fine augeri potest, infinitum esse non potest.

Coroll. Quod augeri nequit, infinitum est, & quod infinitum est, augeri amplius nequit.

CCXIX. *Numerus actu infinitus repugnat.* Numerus realis infinitus repugnat.
Cum numerus aliud non sit, quam multitudo, quæ oritur ex collectione earumdem unitatum, per essentiam numeri generatim accepti non determinatur, quot eum unitates ingrediantur; ergo salva numeri essentia cuius addi potest unitas, atque hac adjecta rursum alia, & alia sine fine: atqui adiecta unitate numerus major efficitur, ac proinde augmentum obtinet: potest enim quivis numerus considerari ut unum, in quo unitates partium vices agunt: igitur quivis numerus sine fine augeri potest; quod autem tale est, infinitum esse nequit (*§. præc.*): ergo numerus actu infinitus repugnat.

Coroll. Quantitas igitur infinita numero exprimi nequit; potest autem omnis quantitas finitas.

Schol. Frustra sunt, qui putant, vim argumenti declinari dicendo: numerum finitum quidem unitatis adjectione augeri, non item infinitum: velim enim, ut palam edicant, quam sibi de numero in genere spectato ideam conformem: certe, cum species ex definitione generis fluere debeat, necesse est, ut statuant quoddam numeri genus, quod in infinitum, & finitum tamquam suas species dispeci queat, quemadmodum exempli caussa ens in infinitum, & finitum: animal in hominem, & belluam distribuimus. Definiunt igitur nobis genus istud, eamque adferant definitionem, quæ in utramque speciem conveniat, quod nisi præstiterint, responsione sua nihil dixisse censendi sunt. Sane sicut omnipotentia sine absurdo ne-

quit tribui in finitam, & infinitam, eo quod ipsa in conceptu essentiali infinitatem involvit: ita neque numerus in finitum, & infinitum dividiri potest, quia in hujus essentiali conceptu finitas includitur. Consentientem hac in re habeo Cl. Moshemium celeberrimum commentatorem in Cudworthum. Sciunt omnes, ita ille, numerum in se nihil esse, sed ad res, & actiones referri: ex quo patet, cum de numeri infinite oratio instituitur, hoc proprie quæri: rerumne quarumdam, vel actionum tanta sit multitudo, ut omnis ab ea terminus, & finis absit? hæc ipsa vero controversiæ explicatio ostendit jam quodam modo, numero qui nihil dubitant infinitatem adjudicare, eos sine repugnantia id facere non posse. Multo vero clarius idem apparebit, si in notiones, & potestates, vocabulorum numerus & numerare accuratius inquisivero. Numerus nescio, quid sit aliud, quam multitudo rerum, vel actionum, quarum singulae finitæ sunt, & modo suo terminatæ. Numerare vero significat explorare, quanta sit multitudo rerum, vel actionum quarumdam finitarum, quo cognitum fiat, quinam fines sint, vel termini hujus vel illius multitudinis Has qui cum notione nominis infinitus comparabit definitiones, is sine ullo confessim negotio sentiet, vocabulum infinitus sine manifesta repugnantia cum vocabulo numerus sociari non posse, atque bina hæc vocabula ex eorum esse ordine, quæ mutuo sese tollunt & evertunt, &c. &c. Sed neque mathematicorum infinitum cuiquam scrupulum injiciat; illud enim tametsi ea in scientia usus & frequentissimi & ingenti cum commodo conjuncti sit, tamen solum imaginarium est, & circa extensionem, aut numerum imaginarium versatur, nec tam actu, quam potentia solum infinitum est.

*System.
intell. c.
5. sect. 1.
§. 24:
not. 2.*

CCXX. *Si finitum addatur finito, quoties libuerit, summa quoque finita est. Cum finitum additur finito, additur aliquid, quod numero exprimi potest, alteri similiter constituto* (§. præc. cor.), ac proinde numerus additur numero; sed si numerus, quotiescumque libuerit, numero addatur, numerus, qui inde oritur, semper est finitus (§. præc.): ergo si finitum addatur finito, quoties libuerit, aggregatum quoque semper manebit finitum. *Ita nunquam efficiens intellectum finitum ex collectis quotcumque intelligentiis finitis.*

Coroll. 1. *Cum multiplicatio sit iterata additione, ut norunt arithmeticci, etiam si finitum per finitum quotiescumque multiplicetur, factum semper finitum erit.*

Coroll. 2. *Infinitum est immensum, seu mensurari nequit* (§. 69.), nec finitum potest esse pars aliquota infiniti (§. 268.); denique universim finiti ad infinitum nulla est proportio.

CCXXI. *Extensem reale infinitum esse nequit.* Si extensem quoddam reale infinitum existeret, existeret numerus partium realium actu infinitus; sed hoc repugnat (§. 219.): ergo extensem reale infinitum esse nequit.

Coroll. 1. *Cum spatium reale sit extensem reale, spatium reale infinitum repugnat.*

Coroll. 2. *Limes extensi est figura* (§. 189.): igitur quodvis extensem reale figuram quamdam habeat, necesse est; quod item verum est de omni ente composito (conf. §. cit. coroll. 1.).

Coroll. 3. *Cum divisio partes non efficiat, sed præexigat, divisio infinita ponit numerum partium realium actu infinitum: patet igitur nullum ens compositum esse in infinitum divisibile.* En novum argumentum pro existentia entium simplicium.

Schol. Laudatus supra Mosheimius impossibili- Loc. cit.
Storchenau Metaph., L. I. 9

Finitum
additum
finito
remanet
finitum.

Exten-
sum rea-
le infini-
tum re-
pugnat.

tatem extensi realis, seu, ut ille quidem ait, materiæ infinitæ, sic demonstrat. Non negabunt, qui materiam esse volunt infinitam a Deo conditam, posse Deum, qua est incredibili potentia, et virtute, huic infinitæ materiæ demere aliquid, et detrahere, aut partem ejus aliquam in nihilum redigere. — Hoc autem si Deus facere potest, nonne extremitas in illa sit materia, quam infinitam tantisper vocamus, necesse est? unde enim pars quædam demi, ac abradi potest, id extremum quoddam habeat, oportet: quo si careat, ne ipsa quidem infinita potentia auferre aliquid inde valet. Quod extremum autem aliquid habet, aut quod parte quadam extrema potest privari, id infinitum nemo dixerit. — Finge Deum partem illam, quam ademit materiæ, reddere illi, et restituere: quid tum fiet? num materia, quæ finita facta fuerat, postquam demta illi fuerat portio, infinita evadet iterum addita illa parte? — Finita est si ne controversia illa portio; ergo si ad materiam, unde sublata est, adjiciatur denuo, finita quoque manebit. — Hoc vero si deridis, nonne ipsam materiam finitam esse statim simul largiendum erit? duo nempe habemus finita: partem finitam a toto suo secretam, & totum finitum, quod parte sui quadam privatum est. Hæc duo finita conjunguntur, et sociantur a Deo. Hanc ergo duorum finitorum conjunctionem num putas infinitum efficere? materiam, quæ finita fuerat, infinitam fieri adjectione particulæ finitæ arbitraris? etc. etc.

CCXXII. Tempus reale infinitum esse nequit. Si tempus reale esset infinitum, infinita jam momenta actu transiissent, ac proinde daretur numerus eorum actu infinitus; sed hoc repugnat (§. 219.): ergo tempus reale infinitum esse nequit.

Schol. Ex eo, quod res in serie continua succedentes sine fine existere possint, infinitas temporis nequaquam fluit; nam ut illud sit vere infinitum, necesse est, ut tam initio, quam fine careat: at vero neutro caret tempus reale, non fine, quodsi enim momentum præsens terminat tempus præterlapsus; non initio, nam secus momentorum elapsorum jam extaret numerus infinitus, & hic quidem per supervenientia momenta semper augendus, quod alterum est absurdum (§. 218. cor.).

CCXXIII. Quidquid est, vel finitum est, Quid ens vel infinitum (§. 40. cor. 2.): igitur & es-
sentia entis vel finita est, vel infinita. *Ens infinitum*, &
voco, quod habet essentiam infinitam: *ens finitum*, quod essentiam solum finitam habet.

Coroll. Omne ens vel est ens infinitum, vel
ens finitum.

CCXXIV. Quodvis attributum entis infiniti
est æque infinitum. Quodvis attributum entis
infiniti in essentia infinita rationem sufficien-
tem agnoscit (§§. 56. & præc.); sed quod in infinitis,
essentia infinita rationem sufficientem agno-
scit, est æque infinitum; sicut enim posita
ratione sufficiente ponitur rationatum (§. 22.);
ita quoque poni debet rationatum ejus inten-
sioni, cui ratio ea sufficit, nisi arbitraria, ac
libera sit, quod in casu præsente non obtinet;
atqui ratio infinita sufficit infinitæ intensio-
ni: ergo quodvis attributum entis infiniti est
æque infinitum.

Coroll. 1. Igitur etiam ens, cuius vel unicum
attributum agnoscitur esse infinitum, æque
infinitum est; & ab opposito, quod vel u-
nicum attributum finitum habet, est ens
finitum.

Coroll. 2. Ens in omni linea finitum, vel infi-
nitum tale est in omni linea: inde veteres
dixerunt: *finitum non est capax infiniti.*

& omnibus realitatibus possibili-
bus.

CCXXV. *Omnis realitas possibilis illimitatae sunt attributa entis infiniti.* Ideo quodvis attributum entis infiniti est infinitum, quia ejus essentia infinita est ratio, quae sufficit infinitae intensioni cuiusvis attributi (§. præc.); verum eadem essentia infinita, hoc ipso, quod sit infinita, est ratio, quae sufficit omnibus possibilibus attributis infinitis, quae aliud esse nequeunt, nisi realitates illimitatae (§. 40.): ergo si quodvis attributum entis infiniti est infinitum, etiam omnes possibles realitates illimitatae sunt attributa entis infiniti; atqui illud est (§. præc.): igitur & hoc.

Schol. Ne quis temere a me dictum putet, attributa entis infiniti non posse esse nisi realitates illimitatae, non gravabor brevem asserti demonstrationem adjungere. Attributa generatim sunt affectiones entis (§. 56.); affectiones porro sunt determinationes entis (§. 49. cor.); & denique determinationes entis vel realitates sunt, vel defectus (§. 40. cor. 1.); igitur attributa entis infiniti forent defectus, si non essent realitates; atqui hoc vehementer cum ratione pugnat; neque enim defectus, qui in mera negatione consistit, infinitatis capax est, neque essentia infinita defectus infiniti, si quis detur, rationem sufficientem continere potest.

ac proinde abso-
lute per-
fectissi-
mum est.

CCXXXVI. *Ens infinitum est absolute perfectissimum.* Omnes possibles realitates illimitatae sunt attributa entis infiniti (§. præc.); igitur ens infinitum pollet omnibus possibilibus realitatibus absolutis; sed id genus ens est absolute perfectissimum (§. 95. sch. n. 5.); ergo ens infinitum est absolute perfectissimum. *Coroll. 1.* In ens infinitum nullus cadit defectus, nulla imperfectio seu contraria, seu remotiva (§. 85. sch.), quodque his laborat ens finitum est.

Coroll. 2. In ente infinito omnia actu insunt, quæ inesse possunt; contrarium obtinet in ente finito; unde hoc semper aliud perfectius dari potest.

Schol. Patet igitur, quid de potestate vocabulorum *finitus*, & *infinitus* statuere oporteat. Moshemius in Codworthum duplicem ipsis significationem subesse docet, grammaticam alteram, alteram philosophicam: *eam ipsa verborum potestate, & notione;* hanc explicatione illius naturæ, cui eæ voices sint propriæ, constitui. Quod si igitur vocabula hæc *infinitus*, & *finitus* grammaticæ spectentur, illud vim negantem, hoc affirmantem habet; infinitum enim proprie notat id, quod finibus caret, finitum, quod finibus adstringitur. Philosophis vero infinitum idem sonat, quod natura perfectissima, ac numeris omnibus absoluta; ubi contra finita ab ipsis dicuntur, quæ a perfectione summa distant, qua ratione *infinitum* sensum positivum: *finitum* autem negativum continet. Cum itaque posito ente infinito ponatur summa perfectio, quæ possibilis est, evidens est, conceptum infiniti, quo philosophus ens infinitum cogitat, nequam negativum, sed omnino positivum esse.

CCXXVII. *Omnis perfectio, quæ enti cuicunque finito competit, enti infinito tribuenda est.* Omnis perfectio, quæ enti cuicunque finito competit, est quædam realitas (§. 87. cor.) limitata (§. 224. cor. 2.), et omnis realitas limitata possibilis quoque est ut illimitata (§. 24. cor. 2.); sed enti infinito omnis possibilis realitas illimitata tribuenda est (§. 225.): ergo omnis perfectio, quæ enti cuicunque finito competit, enti infinito tribuenda est.

Coroll. Eadem igitur perfectiones, quæ entibus finitis cum limite conveniunt, insunt in ente infinito sine limite.

*Syst. intellect. c. 5.
t. 1. §. 24.
n. 2. p.
773.*

Perfectiones finitorum insunt in ente infinito.

a. i. e. for-
maliter,
aliæ emi-
nenter.

Ontolog.
scđ. 2. c.
3. §. 290.

Schol. Interea tamen discriminem quoddam inter perfectiones entium finitorum notandum venit, quo fit, ut aliæ formaliter, aliæ eminenter in ente infinito inesse dicantur; id quod verbis Boehmii illustrabo: si cuidam realitati in finitis obviæ ita inhæret limes, ut his salvo illius conceptu formali, unde denominatur, abesse nequeat; tum realitas ista quatenus eo nomine comprehenditur, infinito enti adscribi non potest. Quoniam tamen omissis realitas, quocumque sub limite nunc concipiatur, sine limite possibilis est, & ita infinito competit, illa realitas etiam seposito nomine sine limite possibili, & sine limite infinite inest, & hæc ipsa dein realitas posterior illimitata, quæ finito est, appellatur quidem adhuc illius realitatis prioris limitatæ, quæ finito inest, nomine, sed mutato tantum per omnitudinis in hac realitate pro limite substitutionem ejus significatu, & hinc cum addito per eminentiam. Tum subjicit exemplum a facultate imaginandi petitum: denique adit: istæ perfectiones finitorum, quibus vi definitionis limes inest, sive quæ enti infinito non formaliter, sed per eminentiam tribuendæ, dicuntur stilo scholasticorum secundum quid tales, stilo recentiorum respective: absolute vero vel simpliciter tales, quarum conceptus non involvit limitem.

CCXXVIII. Ens infinitum est prorsus independens ab omni alio. Cum omnis dependencia in impossibilitate determinationis sine alio consistat (§. 60.): dependentia generatim non est realitas, sed defectus; atqui in ente infinito nullus defectus locum habet (§. 226. cor.): ergo ens infinitum est absolute independens ab omni alio.

Coroll. Si igitur ens infinitum existat, illud quoad existentiam ab alio non pendet.

Schol. Intelligo dependentiam internam, quæ

Ens infi-
nitum est
independ-
dens.

a determinationibus internis proficiscitur,
quæque sola vero sensu dependentia est;
non enim repugnat, ut infinito enti rela-
tiones competant.

CCXXIX. *Ens infinitum est ens necessa-* Ens infi-
nitum est
ens ne-
cessa-
rium.
rium. *Ens infinitum vel est ens necessarium,*
vel ens contingens (§. 104. cor. .1); *sed ens*
infinitum nequit esse ens contingens; *omne*
quippe contingens pendet in existendo ab a-
lio (§. 107.), *infinitum autem a nullo* (§. præc.):
ergo ens infinitum est ens necessarium.

Coroll. 1. *Nullum ens contingens est ens in-*
finitum, ac proinde etiam omne ens con-
tingens est ens finitum.

Coroll. 2. *Ens infinitum est ens a se* (§. 104.
cor.).

CCXXX. *Omne ens finitum est ens contin-* Ens fini-
tum est
ens con-
tingens .
gens. *Omnis ens finitum vel est ens contin-*
gens, vel ens necessarium (§. 104. cor. 1.),
sed nullum ens finitum potest esse necessa-
rium; necessitas quippe ad existendum est
realitas absque defectu, sive illimitata (§. 40.),
ac proinde attributum infinitum, quale enti
finito non competit (§. 224. cor. 1. & 2.):
ergo omne ens finitum est ens contingens.

Coroll. *Igitur ens necessarium non est ens*
finitum; hocque est ens ab alio (§. 104.
cor. 1.).

CCXXXI. *Ens necessarium est ens infini-* Ens ne-
cessa-
rium est
ens infi-
tum. *Ens necessarium vel est ens finitum,*
vel ens infinitum (§. 243. cor.); *sed ens neces-* nitum.
sarium non est ens finitum (§. præc. cor.): *er-*
go ens necessarium est ens infinitum.

Schol. *Cum igitur omnes hæc enunciations:*
ens infinitum est ens necessarium: ens ne-
cessarium est ens infinitum; omne ens fi-
nitum est ens contingens; omne ens contin-
gens est ens finitum, veræ sint; evidens est,
omnia ea, quæ supra de ente necessario,
& contingente demonstrata fuerunt, ad ens
quoque infinitum, & finitum pertinere: qua-

re necesse non est, ut in inquisitione proprietatum entis infiniti longior sim. Aliquas tamen nominatim ex notione entis infiniti adhuc explicata deducere haud parum proderit.

Ens infinitum caret modis propriis dictis;

CCXXXII. *Ens infinitum caret modis propriis dictis.* Quod interne ab alio non pendet, id caret omni determinatione interna, quæ sine alio possibilis non est (§. 60.); sed quisvis modus proprius dictus est determinatio interna, quæ sine alio possibilis non est (§§. 56. 22.): ergo quod interne ab alio non pendet, caret modis propriis dictis; atqui ens infinitum interne ab alio non pendet (§. 228.): ergo ens infinitum caret modis propriis dictis.
Coroll. Quod igitur modos proprios admittit, est ens finitum.

est ens immutabile,

CCXXXIII. *Ens infinitum est ens immutabile.* Ens, quod omnia actu simul habet, quæ in ipso inesse possunt, non potest quoad statum internum mutari, estque adeo ens immutabile (§. 119.); sed ens infinitum omnia actu simul habet, quæ in ipso inesse possunt (§. 226. cor. 2.): ergo ens infinitum est ens immutabile.

Coroll. Cum in ente finito non omnia simul insint, quæ in ipso inesse possunt, omne ens finitum est ens mutabile; quia porro soli modi in ente variari possunt (§. 124 cor. 2), omne ens finitum modorum capax est.

ac simplex,

CCXXXIV. *Ens infinitum est ens simplex.* Cum omne ens compositum sit extensum (§. 188. cor. 1.), etiam ens infinitum, si esset ens compositum, foret extensum, & quidem infinite, cum omnia attributa entis infiniti sint infinita (§. 224.); sed extensio infinita repugnat (§. 221.): ergo repugnat, ut ens infinitum sit ens compositum; necesse igitur est, ut sit ens simplex (§. 270. cor. 1.).

Coroll. Omne ens compositum, vel extensum est ens finitum.

et possibile?

CCXXXV. *Ens infinitum est possibile.* At-

tributa essentialia entis infiniti sunt omnes possibles realitates illimitatæ (§. 225.) ; sed omnes possibles realitates illimitatæ sibi non opponuntur (§. 43.) : igitur attributa essentialia entis infiniti sibi non opponuntur ; sed ens, cuius essentialia attributa sibi non opponuntur, est possibile (§. 29.) : igitur ens infinitum est possibile.

CCXXXVI. *Ens infinitum actu existit.* quin &
Cum ens infinitum sit possibile (§. præc.), actu exi-
necesse est, ut sit vel actuale, vel nudum
possible (§. 50. cor. 1.) ; sed hoc esse nequit.
Sit enim vero ens infinitum nudum possibili-
le : poterit illud produci: igitur vel a se, vel
ab alio ; non primum : nihil enim producit
se ipsum (§. 152.) ; non alterum : penderet
enim in existendo ab alio, quod pugnat cum
notione entis infiniti (§. 228. cor.) : restat
igitur, ut ens infinitum sit possibile actuale,
seu, quod idem sonat, ut ens infinitum actu
existat.

Coroll. 1. Igitur ens infinitum numquam pot-
est esse nude possibile : sed sola ipsius es-
sentia possibilis determinat ejus existentiam
actualem, seu ens infinitum existit hoc ipso,
quod sit possibile : quemadmodum supra (§.
104. cor. 2.) de ente necessario dictum est.

Coroll. 2. Cum possibilitas entium nec finem,
nec initium admittat, atque adeo æternam
sit ; sequitur existentiam quoque entis in-
finiti æternam esse.

CCXXXVII. *Si duo entia infinita exi-
stunt, existunt hoc ipso entia infinita nu-
mero infinito.* Si duo entia infinita existunt,
hoc ipso, duo entia infinita possibilia sunt
(§. 50.), sed si duo entia infinita possibilia
sunt, sunt hoc ipso entia infinita numero in-
finito possibilia ; nam natura, quæ per bina-
rium multiplicari potest, nihil in se conti-
net, quod ejus multiplicationi obstet, ac pro-
inde, per quemvis aliud numerum sine fine

multiPLICARI potest: ergo si duo entia infinita existunt, hoc ipso entia infinita numero infinito possibilia sunt; atqui si entia infinita numero infinito possibilia sunt, hoc ipso entia infinita numero infinito existunt (§. præc. cor. i.): igitur si duo entia infinita existunt, existunt hoc ipso entia infinita numero infinito.

CCXXXVIII. Duo entia infinita existere nequeunt. Existant enim vero duo entia infinita, existent itaque hoc ipso entia infinita numero infinito (§. præc.); atqui hoc vehementer absurdum est; præterquam enim quod numerus realis infinitus repugnet (§. 219.), ne unus quidem maxime superstitionum idololatrarum eo insanæ pervenit, ut Deos, id est, entia infinita numero infinito existere putaret: ergo duo entia infinita existere nequeunt (conf. §. 114. sch.).

Coroll. Existit igitur ens infinitum, necessarium, æternum, independens, perfectissimum, ac unicum; Deus denique, cuius honori primus institutionum metaphysicorum liber dicatus sit.

Finis Ontologiæ.

CONSPPECTUS

ONTOLOGIÆ.

Prolegomenon in Ontologiam. Pag. 8

S E C T I O I.

De Primis Demonstrationum Principiis.

Cap. I.	<i>De Primo Veritatum Necessaria- rum Principio.</i>	10
Cap. II.	<i>De Primo Veritatum Contingen- tium Principio.</i>	19
Cap. III.	<i>De Mutua Duorum Principiorum Relatione.</i>	31

S E C T I O II.

*De Proprietatibus Entium maxime
Universalibus.*


Cap. I.	<i>De Impossibili, & Possibili.</i>	36
Cap. II.	<i>De Ente, ejusque Essentia, ac Existentia, & quibusdam aliis huc pertinentibus.</i>	52
Cap. III.	<i>De Attributis, Modis, Relatione, Nexu, & Statu Entium.</i>	66
Cap. IV.	<i>De Diversis Relationum Generi- bus.</i>	69
Cap. V.	<i>De Ordine, Veritate, ac Perfe- ctione.</i>	80


S E C T I O III.


De Diversis Entium Speciebus.

Cap. I.	<i>De Ente Necessario, & Contin- gente.</i>	89
---------	---	----

	204	
Cap. II.	<i>De Ente Immutabili, & Mutabili.</i>	100
Cap. III.	<i>De Substantia, Accidente, & Vi.</i>	104
Cap. IV.	<i>De Principiis, & Caussis.</i>	109
Cap. V.	<i>De Ente composito, & simplici-</i>	155
Cap. VI.	<i>De Externo, Continuo, & Spa-</i>	147
Cap. VII.	<i>De Loco, Tempore, & Motu.</i>	175
Cap. VIII.	<i>De Ente Infinito, et Finito.</i>	190









+ colorchecker CLASSIC

xrite

